6
7–b
23

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
5 B
45

RHETORICARUM INSTITUTIONUM LIBRI QUATUOR

QUAS

CAROLUS JOSEPH DE RUBEIS

Cler. Reg. Scholarum Piarum
Ingenuæ Juventuti

In jiſdem Scholis erudiendæ proponit.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE



GENUÆ MDCCXLIII.

Ex Typographiâ Franchellianâ. In Plateâ S. Lau.

Superiorum permiſſu.

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

INGENUI ADOLESCENTES.

Illud ſemper muneris, atque Inſtituti mei eſſe duxi; ut ſi quam mihi faciliorem Eloquentiæ parandæ viam, aut diuturna exercitatio docendi, aut attenta librorum lectio aperuiſſet: eam bonarum artium ſtudioſis Adoleſcentibus proponerem, qui noſtris in Scholis ad maximam literarum, ſcientiarumque ſpem frequentiſſimi aluntur. Quod quidem, ut ſaltem ex animi mei voto conſequerer, meâque operâ, atque induſtriâ, quemadmodùm jamdudum conſtitueram, Vobis tandem proſpicerem: opportuna viſa res eſt, Rhetoricas Inſtitutiones ad veſtrorum ſtudiorum commodum

elucubratas in publicam lucem edere, Vobiſque diſcendas, exercendaſque committere; ut hinc facilior ad Eloquentiam aditus Veſtrum cuique pateret. Multa ſiquidem tum Veterum, tum Recentiorum Auctorum præcepta, quæ veſtræ Inſtitutioni maximè prodeſſe poſſunt, ſedulò, accuratèque collegi, atque in unum quaſi corpus redegi; ut quæ variis in libris diſperſa inveniuntur: ea uno propemodùm intuitu videatis omnia, dum oculis nimirum hæ ipſæ Inſtitutiones ſe ſe offerent. Quod cum probandum maximè, tum jiſdem mei Ordinis Conſtitutionibus firmatum exiſtimo, quibus illa jubemur in literarium Juventutis commodum, eruditionemque comparare, quæ ab optimis quibuſque Scriptoribus de bonis artibus, ſcientiiſque tradita uſquam fuere, ac traduntur in dies. Hinc ex veteribus Ariſtotelem, Ciceronem, & Quinctilianum: ex Recentioribus Majoragium, Voſſium, Regium, alioſque ejuſdem famæ homines duces, auctoreſque habui, quibus quæcunque utilitas ab

hiſce Inſtitutionibus obventura vobis ſit, mecum Ipſi vos acceptam potiſſimùm referte. Cum tamen longum ſit iter per præcepta, & expeditius per exempla: Etenim

(1.) Segniùs irritant animos demiſſa per aures,
Quàm quæ ſunt oculis ſubjecta fidelibus:

neceſſe idcirco eſſe viſum eſt, ſeriem quamdam Latinæ Linguæ Auctorum prætexere, quos ætas quælibet excepit; ut tenera, atque flexibilia Juvenum ingenia ad ejus Auctoris ſtylum, orationemque conformarentur, quem meliori ævo præ cæteris floruiſſe intelligerent. Si enim Imitatio ea eſt (2.) quâ impellimur cum diligenti ratione, ut aliquorum ſimiles in dicendo eſſe velimus; *jam vobis facilè innoteſcet, quorum Auctorum ſimiles evadere, in quos ſtudium omne, induſtriamque conferre debeatis. Porro Exempla ab Oratoribus, & Poetis*

(1.) *Horat de Art Poet.*
(2.) *Auct. ad Heren. lib.* 1.

petita ſingulis præceptis adjeci; ut Clariſſimorũ Virorum teſtimoniis fides, atque ſplendor meis Inſtitutionibus afferretur. Quod ſi aliqua identidem ex ſacris Libris, auctoribuſque excerpta videbitis: illud præcipuâ hâc ratione peractũ eſt, ut nobiliſſimos Eloquentiæ flores, quos apud Ethnicos tantoperè admiramur, in ſacris quoque Scriptoribus mirificè florere intelligatis. Date igitur operam, Adoleſcentes ingenui, ut ab hujuſmodi fontibus purioris, ac ſanctioris Eloquentiæ latices in animos veſtros derivetis. Sic enim fiet, ut literariis veſtris exercitationibus ducem Pietatem, comitemque ſemper adhibentes, id tandem aſſequamini, ad quod veſtra vos Indoles, ac Majorum voluntas impellit: ut ſegetem nimirum tum Doctrinæ, tum præſertim Virtutum ex hiſce Scholis uberrimam reportetis.

INDEX

LIBRORUM, ET CAPITUM, QUÆ IN HOC OPERE CONTINENTUR.

Rhetoricarum Inſtitutionum

LIBER PRIMUS.

De Ortu, Interitu, & Inſtauratione Linguæ Latinæ. Cap. I. *pag.* 1.
De Latinis Scriptoribus in ſuas ætates diſtributis, & primùm de iis, qui ætatem auream præceſſerunt. Cap II. *pag.* 4.
De Aureæ ætatis Scriptoribus Cap. III. *pag.* 6.
De Argenteæ ætatis Scriptoribus. Cap. IV. *pag.* 9.
De Æneæ ætatis Scriptoribus. Cap. V. *pag.* 11.
De Incertæ ætatis Scriptoribus. Cap. VI. *pag.* 14.
De Ferreæ Ætatis Scriptoribus. Cap. VII. *pag.* 15.
Quid ſit Eloquentiæ finis. Cap. VIII. *pag.* 19.
Quibus rebus Eloquentia comparetur. Cap. IX. *pag.* 20.
Quot ſunt Eloquentiæ partes. Cap. X. *pag.* 22.

LIBER SECUNDUS.

In quo de Elocutione;
Quid ſit Elocutio, & quibus partibus conſtet. Cap. I. *pag.* 24.
De Elegantiâ; ſeu de Verborum vitiis, & virtutibus. Cap. II. *pag.* 26.
De Compoſitione, & de primâ ejus parte, quæ eſt Junctura. Cap. III. *pag.* 31.

De ſecundâ Compoſitionis parte, quæ eſt Ordo Cap. IV. pag. 35.
De tertiâ compoſitionis parte, ſeu de Periodicâ Oratione. Cap. V. pag. 36.
De Quartâ Compoſitionis parte, ſeu de Numero. Cap. VI. pag. 43.
De Dignitate; & primùm de Tropis generatim. Cap. VII. pag. 46.
De Metaphorâ. Cap. VIII. pag. 47.
De præcipuis Metaphoræ capitibus, & vitiis. Cap. IX. pag. 49.
De Sinecdoche. Cap. X. pag. 51.
De Metonymiâ. Cap. XI. pag. 54.
De Antonomasiâ. Cap. XII. pag. 56.
De Catacbreſi, Metaleſſi, & Onomatopæjâ. Cap. XIII pag. 58.
De Tropis ſententiarum; & primò de Allegoriâ. Cap. XIV. pag. 60.
De Hyperbole. Cap. XV. pag. 62.
De Periphraſi, & Hyperbaton. Cap. XVI pag. 64.
De Figuris generatim. Cap. XVII. pag. 66.
De Figuris Verborum, quæ fiunt per adjectionem. Cap. XVIII. pag. 67.
De Figuris Verborum, quæ fiunt per detractionem. Cap. XIX. pag. 73.
De Figuris Verborum, quæ per ſimilitudinem fiunt. Cap. XX. pag. 74.
De Figuris Verborum, quæ per contrarium fiunt. Cap. XXI. pag. 76.
De Figuris Sententiarum. Cap. XXII. pag. 77.
De Figuris ad amplificandum idoneis.
De Deſcriptione ejuſque ſpeciebus. Cap. XXIII. pag. 78.
De Diſtributione, & Expolitione. Cap. XXIV. pag. 82.

De

De Elogio, & Epiphonemate. Cap. xxv. pag. 84.
De Præteritione, Incremento, & Congerie.
Cap. xxvi. pag. 85.
De Figuris ad movendum idoneis.
De Apoſtrophe, & Percuſſione.
Cap. xxvii. pag. 87.
De Exclamatione, & Comminatione.
Cap. xxviii. pag. 90.
De Interrogatione, & Dubitatione.
Cap. xxix. pag. 92.
De Emphaſi, & Ironiâ. Cap. xxx. pag. 94.
De Obſecratione, Optatione, & Imprecatione.
Cap. xxxi. pag. 96.
De Recriminatione, & Reticentiâ.
Cap. xxxii. pag. 98.
De Proſopopæjâ, & Sermocinatione.
Cap. xxxiii. pag. 100.
De Figuris ad probandum idoneis.
De Præoccupatione, & Subjectione.
Cap. xxxiv. pag. 102.
De Suſtentatione, & Conceſſione.
Cap. xxxv. pag. 105.
De Correctione, & Communicatione.
Cap. xxxvi. pag. 107.
De Aſſeveratione, Frequentatione, & Commoratione. Cap. xxxvii. pag. 110.
De Antitheſi, & Licentiâ.
Cap. xxxviii. pag. 111.
De Tranſitione, Rejectione, & Digreſſione.
Cap. xxxix. pag. 114.
De Chriâ. Cap. xxxx. pag. 118.
De Triplici Charactere dicendi.
Cap. xxxxi. pag. 120.
De Charactere ſublimi, & Vitio oppoſito.
Cap. xxxxii. pag. 122.

De Tenui Charactere, & Vitio oppoſito. Cap. XXXXIII. pag. 125.
De Temperato Charactere, & Vitio oppoſito. Cap. XXXXIV. pag. 126.
De Cæteris dicendi Characteribus. Cap. XXXXV. pag. 128.
De Venuſtate Orationis. Cap. XXXXVI. pag. 129.
De Gravitate Orationis. Cap. XXXXVII. pag. 131.
De Vitiis Venuſtati, & Gravitati oppoſitis. Cap. XXXXVIII. pag. 132.

LIBER TERTIUS.

IN quo de Inventione.
Quid ſit Inventio, & quotuplex: quæ illius materia, & partes. Cap. I. pag. 135.
De Locis Oratoriis. Cap. II. pag. 136.
De Definitione. Cap. III. pag. 138.
De Partium Enumeratione. Cap. IV. pag. 141.
De Notatione. Cap. V. pag. 144.
De Conjugatis. Cap. VI. pag. 145.
De Genere. Cap. VII. pag. 146.
De Specie. Cap. VIII. pag. 148.
De Similitudine. Cap. IX. pag. 150.
De Diſſimilitudine. Cap. X. pag. 152.
De Contrariis. Cap. XI. pag. 153.
De Adjunctis. Cap. XII. pag. 156.
De Antecedentibus, Conſequentibus, & Repugnantibus. Cap. XIII. pag. 157.
De Cauſis. Cap. XIV. pag. 158.
De Effectis. Cap. XV. pag. 163.
De Comparatis. Cap. XVI. pag. 164.
De Locis remotis; & primùm de loco a Teſtimonio Divino. Cap. XVII. pag. 167.
De Loco ab humano Teſtimonio. Cap. XVIII. pag. 169.

De Affectibus excitandis. Cap. XIX. *pag.* 174.
De Affectibus in Deliberativo Genere aptioribus; & primùm de Metu. Cap. XX. *pag.* 175.
De Fiduciâ. Cap XXI. *pag.* 177.
De Pudore, & Inverecundiâ. Cap. XXII. *pag.* 178.
De Affectibus ad Demonſtrativum Genus ſpectantibus. De Lætitiâ, & Gratiâ. Cap. XXIII. *pag.* 179.
De Affectibus in Judiciali Genere frequentioribus. De Irâ. Cap. XXIV. *pag.* 181.
De Lenitate. Cap. XXV. *pag.* 182.
De Amore. Cap. XXVI. *pag.* 184.
De Odio. Cap. XXVII. *pag.* 185.
De Indignatione. Cap. XXVIII. *pag.* 186.
De Invidiâ. Cap. XXIX. *pag.* 187.
De Miſericordiâ. Cap. XXX. *pag.* 188.
De Æmulatione. Cap. XXXI. *pag.* 189.
De Moribus. Cap. XXXII. *pag.* 190.

LIBER QUARTUS.

In quo de Diſpoſitione.
De partibus Orationis. Cap. I. *pag.* 197.
De Exordio. Cap. II. *pag.* 198.
De Parandâ Benevolentiâ. Cap. III. *pag.* 200.
De Parandâ Docilitate. Cap. IV. *pag.* 203.
De Parandâ Attentione. Cap. V. *pag.* 206.
De variis Exordiorum Fontibus. Cap. VI. *pag.* 207.
De Exordii Æconomiâ. Cap. VII. *pag.* 209.
De Exordii Vitiis. Cap. VIII. *pag.* 211.
De Narratione. Cap. IX. *pag.* 212.
De Narrationis Speciebus. Cap. X. *pag.* 214.
De Dotibus Narrationis. Cap. XI. *pag.* 216.
De Propoſitione. Cap. XII. *pag.* 219.
De Confirmatione. Cap. XIII. *pag.* 220.

De Argumento & Argumentatione.
Cap. XIV. pag. 222.
De Sylogiſmo. Cap. XV. pag. 222.
De Enthymemate. Cap. XVI. pag. 225.
De Inductione. Cap, XVII. pag. 226.
De Exemplo. Cap. XVIII. pag. 228.
De reliquis argumentationum generibus.
Cap. XIX. pag. 229.
De Epilogo. Cap. XX. pag. 231.
De Amplificatione. Cap. XXI. pag. 234.
De Amplificatione rerum. Cap. XXII. pag. 237.
De iis, quæ advertenda ſunt in Amplificatione.
Cap. XXIII. pag. 239.
De Generibus Cauſarum. Cap. XXIV. pag. 240.
De Genere Demonſtrativo. Cap. XXV. pag. 241.
De Geuere Deliberativo. Cap. XXVI. pag. 246.
De Genere Judiciali. Cap. XXVII. pag. 248.
De Statibus. Cap. XXVIII. pag. 253.
De Statu Conjecturali. Cap. XXIX. pag. 254.
De Statu Definitivo. Cap. XXX. pag. 256.
De Statu Qualitatis. Cap. XXXI. pag. 257.
De Memoriâ, & Pronunciatione.
Cap. XXXII. pag. 260.
De Hiſtoriâ. Cap. XXXIII. pag. 263.
De Regulis Conficiendæ Hiſtoriæ.
Cap. XXXIV. pag. 266.

Quæ in Typis irrepſerunt

ERRATA ſic CORRIGE.

Pag. 6.	lin. 18.	uſitatum	uſitatam
21.	18.	non tantùm	non tantùm utilis
22.	15.	Ciceroni	Ciceronis
24.	11.	difficiora	difficiliora
26.	25.	*rara, nimis*	*rara nimis*
53.	31.	qui lupum	quos lupi
56.	29.	CAPUT IV.	CAPUT XII.
69.	20.21.	*capillus occurrit*	*capillos occurri*
75.	27.	*laſcira*	*laſciva*
84.	13.	juratur	juvatur
158.	36.	genere	genera
161.	9.	*incurioſiùs*	*injurioſiùs*
162.	32.	*munero*	*mucro*
169.	21.	Apopulorum	Apoſtolorum
185.	14.	prægeſticus	prægeſtiens.

Rhetoricarum Inſtitutionum.

LIBER PRIMUS.

CUM minimè ſperandum ſit fore, ut Adoleſcentes in humanioribus literis progrediantur, niſi jis recta diſcendi Methodus cum optimâ ſtudiorum ratione conjunctâ tradatur; cumque hæc in evolvendis Romanæ Eloquentiæ Auctoribus poſſit præcipuè obtineri, à quibus veluti fontibus puriſſimi dicendi latices hauriuntur; ita me nihil facturum abs re puto, ſi antequam ſolidam præceptorum doctrinam attingam, aliqua de ipſis Auctoribus, deque variis, quibus vixere, ætatibus præfari velim; ut Juvenes, qui ſimul ætate, ſimul judicio infirmi, nondum ſatis æra à lupinis diſtinguunt, optimè nôrint, quos ſequi, atque amplecti, & quos velut infenſos odiſſe debeant, & averſari.

De Ortu, Interitu, & Inſtauratione Linguæ Latinæ.

BIBLIOTECA ROMA VITTORIO EMANUELE

CAPUT I.

QUemadmodùm per ſæcula ferè quinque, & fortaſſe eo ampliùs literæ, vel nullæ, vel raræ admodùm Romæ fuerunt præter Græcas, hoc duntaxat fato, quòd primi illius Urbis Incolæ Græci fuerint; hinc factum eſt, eam linguam, quæ *Romana* ab Urbis, à Regionis nomine *Latina* appellata eſt, originem à Græco ſermone traxiſſe: imò verò ſimilitudinem quam-

dam inter utriuſque Gentis literas, & literarum ſonum emanaſſe, quæ inter verba ipſa, & verborum ſyntaxim quandam affinitatem peperit, & conjunctionem. Quò circa Quinct. *hæc* (inquit) (1.) *diviſio mea ad Græcum ſermonem præcipuè pertinet: nam maximâ ex parte Romanus inde converſus eſt*. Prima hujus linguæ adhuc balbutientis crepundia Cicero in Bruto (2.) Anno Urbis conditę DXIV. refert Coſſ. C. Clodio, & M. Tuditano, quo tempore Livius Andronicus fabulam dedit. Ante hoc ævum, vel quos Salii Sacerdotes juſſu regis Numæ Romanarum rerum annales ſcripſerunt, vel quæ in XII. tabulis leges, ſeu Regiæ, ſeu Tribuniciæ exaratæ fuerunt rudia omnia, & incondita judicavit Livius, (3.) qui illius ætatis ſermonem horridum appellat; uti videre facile eſt in Commentariis linguæ latinæ cl. Viri Jacobi Facciolati editi anno 1733. poſt Orat. ad Grammaticam.

Anno igitur ſuperiùs enunciato DXIV. Romana lingua è cunabulis egreſſa in infantiam devolvitur, quam diligenti curâ educarunt *Livius*, *Andronicus*, *Appius cæcus*, *Trinatius*, *Cethegus*, *Lucillus*, *Hoſtilius*, *Titinius*, *Pacuvius*, *Affranius*, *Cato Cenſorinus*, *Ennius*, *Nevius*, *Cæcilius*, *Accius*, quibus tanquam obſtetricibus enutrita, in vividam, florentemque juventam adolevit, quam meliori fato rexere *M. Accius Plautus*, *Publius Terentius*, *&* aureo verè ſæculo dignus *M. Tullius Cicero qui adoleſcenti huic linguæ robur*, (ut Olai Borrichii verbis utar) *&* *lacertos ſuperinduxit*, *implevit medullas*, *nervos ſolidavit*, *& penè ſupra conſumatam antea Grajorum facundiam alumnam ſuam unus extulit*. At ſicuti ſumma quæque ſtare diù in eodem gradu neſciunt, ita feliciſſimum hujus linguæ decus

(1.) *lib. 1. cap. 5.* (2.) *l. 1. cap. 18.* (3.) *l. 2. cap. 32.*

cus, elegantia, ſcilicet, gravitas, & pulchritudo perennis certè non fuiſſet, & illibata; atque Athleticam ejuſdem firmitatem irrepentes paulatim morbi debilitaſſent; niſi valentes veluti Medici *Lucretius*, *Cæſar*, *Corn. Nepos*, *Catullus*, *Propertius*, *Tibullus*, *Varo*, *Virgilius*, *Ovidius*, *Horatius*, *Saluſtius*. *Livius*, opportunè occurriſſent, qui illam ne gradu quidem moveri, & maſculum conſtantis ætatis ſuccum deperdere, non ſuſtinuerunt. At jam in triſte ſenium vergere videbatur. Sed alii ſubrogati fidiſſimi Athlantes adeò reſtitere, ut vix in illis ſuſpicionem aliquam peregrinitatis advertas. Hi ſunt. *Paterculus*, *Curtius*, *Celſus*, *Aſconius*, *Seneca*, *Columella*, *Palladius*, *Perſius*, *Mela*, *uterque Plinius*, *Tacitus*, *Florus*, *Quinctilianus*; Hinc aliquid paſſa detrimenti Latinitas, & aliquibus perarata rugis. Sed ita conſtans ſenile robur, ut difficilè poſſit à virili ætate diſtingui. Incidit ambiguum hoc temperamentum in Ævum *Svetonii*; *Frontini*, *Statii*, *Val. Flacci*, *Silii*, *Solini*, *Martialis*, *Juvenalis*, *Jul. Obſequentis*, *Juſtini*, *Auſonii*.

Huic tandem ævo miſerabile illud ſucceſſit, quo cœpit latina lingua vacillanti gradu, fugientibus viribus in extremam ſenectutem prolabi; deinde irruentibus paſſim in Latium Barbaris, in mortem ingloriam, aut certè morti ſimile deliquium deſinere; in Theatrum tamen orbis ſplendidior fatis melioribus reditura. Triſtem igitur ſenectam nobis repræſentant. *Appulejus*, *Spartianus*, *Lampridius*, *Treb. Pollio*, *Capitolinus*, *Vulcatius*, *Vopiſcus*, *Marcellinus*, *Tertullianus*, *Sid. Apollinaris*, *Mart. Capella*.

Nullus deinde literis honos, ſed barbaræ voces, incomptus ſtylus, phraſes contaminatæ, multiſque vitiis, ſordibuſque omnis eloquentia conſperſa uſque ad magnam Sæculi XIV. partem; cum

iterum Romana lingua cæpit aſſurgere, & ad primævum culmen Duce immortali Viro *Franciſco Petrarca* adſcendere; adeò ut quinto decimo ſæculo ſuper aſtra ſua virile ſibi decus ſit gratulata, faventibus ſtudio, & ingenio præclariſſimis viris *Laurentio Vallâ*, *Franciſco Philelpho*, *Poggio*, *Facio*, *Vergerio*, *Ambroſio Camaldulenſi*, *utroque Barbaro*, *Leonardo Aretino*, *Guarino Veronenſi*, *Brondo*, *Perotto*, & aliis quampluribus. Sæculo verò XVI. ita per *Bembum*, *Palearium*, *Muretum*, *Manutium*, *Sigonium*, *Sadoletum*, *Naugerium*, *Riccium*, *Amaſæum*, *Alcionium* effloruit, ut inter iſtos nata, educata, atque inſtituta eſſe eloquentia videatur. Neſcio quo tamen fato elapſo proximè ſæculo iterum fædata fuit, aut certè plurimùm infuſcata; namque irrepentibus ſenſim rudis Antiquitatis vitiis, ad Honorii tempora reverti videbatur. Verùm faventibus hodiè Superis, atque implorată ſtudioſorum hominum ope, ad auream Auguſti ætatem proximè ipſam accedere, nemo inficiabitur.

De Latinis Scriptoribus
In ſuas ætates diſtributis,
& primùm de iis, qui ætatem auream præceſſerunt.

CAPUT II.

GAſpar Scioppius vir acerrimi judicii, & ad promovendas literas quaſi natus, in quatuor ætates, *auream*, *argenteam*, *æneam*, *ferream* diſpeſcit latinos Scriptores. Alii vero ab ætate humanâ Romanæ linguæ incrementa, & diminutiones deſumunt; atque ita latinitatem in pueritiam, adoleſcentiam, virile robur, ſenectutem, eamque, tum vegetam, tum inertem diſtribuunt. Prior

ratio

ratio dividendi, cum uſitatior ſit, & facilior: etiam in præſentiâ à nobis obſervabitur.

Antequam aureum Latinitatis ſæculum ingrediamur, adnotandum eſt, plurimos eſſe clari nominis Scriptores, quos alii aureo inſerunt ævo; alii, ut Bochartus epiſt. de Æneæ in Italiam adventu, inter ſemibarbaros balbutientis Latinitatis Auctores enumerant. Verùm à me nec ſemibarbari audient, nec aureæ ætatis participes; quod licet aurum ſæpè ex eorum ſcriptis legerint Poſteri: non tamen tantum eſt aurum, unde aurei dicantur. Horum pauciſſimi libri ſuperſunt, multa quidem non niſi rudera, & fragmenta poſſidemus, quæ ex Cicerone, Gellio, Varrone, Macrobio, aliiſque Grammaticis collegit Robertus Stephanus, eaque in ordinem digeſſit, & evulgavit filius Henricus.

Ex his occurrit primus Livius Andronicus, qui fabulas conſcripſit, non tamen dignas, quæ iterum legerentur; licet illius carmina probentur ab Horatio.

Non equidem inſector, delendave carmina Livi
eſſe reor.

Cecilius, & Pacuvius. De his ſatis erit adducere Ciceronis teſtimonium ad rectè judicandum (1.) Cecilium, & Pacuvium malè locutos fuiſſe. Hinc Martialis. (2.)

Actius & quidquid, Pacuviuſque vomunt.

Nævius Comediographus nimiâ verborum petulantiâ damnandus.

Cajus Lucillus Satyrici ſalis inventor. Hunc reprobat Flaccus tanquam lutulentum, & in ſcribendis carminibus incompoſitum. (3.)

Ennius obtinuit mitiorem Flaccum (4.) à quo habitus

(1.) *De cl. orat.*   (2.) *l. 3. ep. 5.*
(3.) *l. 1. Sat. 4.*   (4.) *l. 2. ep. 1.*

bitus Homero proximus.

Ennius, & ſapiens, & fortis, & alter Homerus.

Oratores etiam nacta eſt non rejiciendos vetus illa Romani Imperii ætas, quos inter

Lucius Junius Brutus, cujus eloquentiam celebrat Halicar. (5.)

M. Agrippa, cujus Orationem prope Annienſis ripam habitam recitat Livius (7.) quæ vetuſtatem ſapit, & veneratum horrorem præfefert.

Appius Claudius. Hujus graviſſimam orationem dictam in Senatu, quâ turpes Pyrrhi conditiones Senatui oblatas pro pace diſcuſſit, refert Plutarchus.

Sex. Turpilius: Gn. Matius. L. Afranius Q. Trabeas, C. Licinins Imbrex; Q. Nevius non aliter inter Scriptores locum inveniunt, *inquit Olaus Borrichius*, quàm inter uſitatum vulgò monetam antiqua numiſmata, quibus ab annorum numerò plus accedit venerationis, quàm à nobilitate Metalli.

De aureæ ætatis Scriptoribus.

CAPUT III.

FElicifſimum aureæ ætatis tempus à bello Punico auſpicatur Scioppius, & ad extremos uſque Octavii Auguſti annos producit. Hoc temporis intervallo ſummam literæ fortunam obtinuerunt; adeò ut in Roſtris nobiliſſimi Oratores, in Scænis probatiſſimi Comici, in Lycæis inſignes Philoſophi, ubique terrarum Poëtæ elegantiſſimi prodierint, qui opulentiſſimum Sapientiæ ſuæ quaſi Patrimonium nobis reliquere; ut quæ vivâ Poſteros docere

(5.) *l. 5. antiq. Roman.* (7.) *l. 2.*

cere voce non poſſunt, muto librorum magiſterio doceant.

Fortunatiſſimæ hujus, auguſtæque tempeſtatis januam veluti primus reſerare videtur *Plautus* leporis, & facetiarum magiſter elegantiſſimus, quem Græcos ſale, & gratiâ ſuperaſſe fatetur Sidonius. (1.)

Plauti laudibus non invidet fortaſſe *Terentius*, quem politiorem, nobilioremque plurimi exiſtimârunt.

M. Tullius Cicero latinæ eloquentiæ Princeps, & Parens, quem de totâ Literariâ Republicâ benemeritum Virum aſſueſcant Juvenes Oratoriæ facultati addicti nocturnâ verſare manu, verſare diurnâ, & ad verbum, ſi fieri poſſet, ediſcere: in hujus vim, gravitatem, & aculeos intueri, ſperantes ejus ſedulâ imitatione ſtylum elimatum, elegantiæ plenum, atque omnino latinum ſe brevi comparaturos.

Non impar fuit *Cai. Julius Cæſar*, cujus commentaria de bello Gallico, & Civili habemus ipſi Ciceroni valde probata, (2.) & de quo Lipſius (3.) ſic ait: *Pueris inter primos Auctores formandæ linguæ, ſi quis proponat, nihil erret.*

Criſpus Saluſtius Scriptor Jugurtini, & Catilinarii belli.

Cornelius Nepos.

Titus Livius.

M. Terentius Varro, cujus de latinâ linguâ, & Agriculturâ libri mutili ad nos pervenerunt.

Hirtius Panſa, ſive ut Svetonio videtur *C. Oppius*, qui Cæſaris commentaria proſequutus eſt, ſcripſitq; de bello Africano, Alexandrino, & Hiſpalenſi.

 Vi-

(1.) *Carm. l.* 23. (2.) *de Cl. Orat. c.* 75.
(3.) *Elec. l.* 2. *c.* 22.

Vitruvius .

C. Cornificius , qui quatuor Rhetoricorum ad Herennium Auctor cenſetur.

Clariſſimi Viri , quorum Epiſtolæ inter Ciceronianas ſervantur .

Pompejus Magnus .
Servius Sulpitius .
M & D. Bruti .
C. Caſſius .
Trebonius .
Plancus .
Cœlius , *& alii* .

Horatius ſuâ laude major, & lyricorum ferè ſolus legi dignus.

Catullus Veronenſis .

Ovidius, cujus opera non omnia ſtudioſæ Juventuti legenda proponerem ; ſed quæ purgatiora ſunt, uti *Triſtium*, *De Ponto*, *& Faſtorum* .

Albius Tibullus .
Propertius .
Lucretius .
D. Laberius .
P. Syrus .

Gratius Faliſcus auctor operis Cynegeticon.

P. *Cornelius Severus* , cui tributum eſt carmen de *Æthnâ* .

Valerius Cato, ex cujus carminibus ſolæ *Diræ* ſuperfuerunt.

Manilius, qui a quibuſdam in ævum Theodoſianum reicitur.

Inter Juris Conſultos aureæ ætati adſcribuntur ii, quorum fragmenta in digeſtis ſervantur.

nempe
Q. Mutius Scævola
Alfenus Varus
M. Antiſtius Labeo
Maſurius Sabinus

Cor-

Cornelius Gallus hic omittendus; quòd carmina, quæ ejus nomine circumferuntur, ſuppoſititia credant, & a Maximiniano quodam ſene confecta *Sil. Gyrardus*, aliique quamplurimi.

Hactenus de jis, qui ab Urbe conditâ anno DXXXVI. ad uſque Octavii Auguſti obitum anno DCCLVII. impleverunt Orbem terrarum Nominis ſui, ingeniique gloriâ; in quibus ſi Lector ſtylum, caracteremque diverſum miretur; cogitet (inquit Olaus Borrichius) & hodie diverſa eſſe ingenia, nec a duobus, eodem anno de argumento eodem ſcribentibus, dictionem eamdem eſſe expectandam; quin & eidem alia dictio plerùmque Juveni placet, alia Seni. Aurea itaque ætas duravit annis circiter CCXXXI.

De Argentea ætatis Scriptoribus.

CAPUT IV.

Argenteum Latinitatis ævum ab exceſſu Auguſti, ideſt anno Chriſti XIV. ad Trajani exceſſum, ſive ad annum Chriſti CXVII. extendit Scioppius; quod tamen longiùs producit Cellarius uſque ad tempora Antonini Pii. Magna, & hoc ſæculum tulit ingenia, quæ multas, variaſque tractantia literas, munditiem, & elegantiam in ſcribendo ſibi propoſuerunt.

Proximus Auguſti temporibus fuit *Corn. Celſus* Medicinæ Scriptor elegantiſſimus, quem Quinctilianus aureo ſæculo dignum judicare non dubitat. Hinc

Scribonius Largus.

P. Vellejus Paterculus.

L. Junius Columella.

Pomponius Melâ Geographus, quem integritati

ſuæ

ſuæ reſtituerunt Cl. Viri Iſaacus, Voſſius, & Jac. Gronovius.

M. Seneca controverſiarum, & ſuaſionum Auctor.

Alter Seneca, nempe *Lucius* Marci filius, cujus fama ſub Claudio, & Nerone grandior percrebuit.

Aſconius Pedianus.

Plinius Major.

C. Julius Solinus.

M. Fab. Quinctilianus artis Rhetoricæ Magiſter optimus.

Julius Frontinus, qui ſtratagemmatum librum inſtituit, ſcripſitque de Aquæductibus, & Coloniis.

C. Plinius Cæcilius Secundus.

L. Annæus Florus.

Aulus Gellius.

T. Petronius Arbiter.

Quæ octo ſuperſunt Tragediæ Senecæ, eas diverſis eruditi homines Auctoribus diſtribuunt.

Aulus Perſius Flaccus Syriacus.

Silius Italicus.

P. Papirius Statius.

D. Junius Juvenalis.

Sulpitia Poetria, quæ ſatyrico carmine Domitianum perſtrinxit, cum Philoſophos Urbe, & Italiâ exulare, edixit.

Argenteo ſæculo digni: licèt quâ ætate vixerint incertum: judicantur

Q. Curtius Rufus, quem alii Oct Auguſti, alii Claudii, alii Trajani tempore floruiſſe, putant.

Val. Probus Grammaticus.

L. Feneſtellæ Annal. fragmenta.

Ex his, qui Trajani temporibus vixere, elegantiores ſunt, & propter latinæ linguæ ſimplicitatem aureo ſæculo proximiores.

De

De Æneæ ætatis Scriptoribus.

CAPUT V.

DE hâc tam incertâ tempeſtate judicium laturo placet hìc Olai Borrichii verba tranſcribere, penes quem poteſtas, & arbitrium decidendi. *Ænea*, inquit, *ætas veriùs forſan adpellatur quaſi ambigui coloris. Quemadmodùm enim æs Japponicum rubet intenſiùs: Norvegium, Sveciumque remiſſiùs: aliud penè livet; nec deeſt quod adulterio Arſenici tranſeat in alborem: mixturâ Cadmiæ in colorem flaviſſimum; ita ætas hæc ambigui omnino, variique generis eſt. Non ideò duntaxat quod Imperium variè interea concuſſum, & a Principibus non raro peregrini ſanguinis adminiſtratum fuerit; ſed quod & Scriptores ipſi ſæpè alienigenæ, cum præclarè ſe ſcribere exiſtimarent: multum peregrinitatis, nondum elegantiâ Romanâ ſubactæ dictioni latinæ ſecum inveherent, & Romani ſæpe ipſi multitudine aliarum nationum in Urbem quotidiè influentium, velut æſtu quodam, & torrente abrepti, in degenerem paulatim conſuetudinem tranſirent.*

Verùm ut certis quoque finibus hæc ætas circumſcribatur; eam à Trajani obitu, nempe anno Chriſti CXVII. ad Romam a Gothis expugnatam, ſcilicet ad annum Chriſti CCCCX. protendimus. Enim verò hoc tempore Urbs urbium, & Caput Gentis cecidit, nec niſi tardiſſimè a caſu reſurrexit, diu poſt omnium penè ludibrium.

Scriptores Æneæ hujus ætatis in duplici claſſe diſtinguit prædictus Olaus: alios in fingendis, componendis, flectendis vocibus, & dictione audaciores; alios magis moderatos, ex quibus præſtantiſſimi fuere illi, qui ſe genio ſæculi aurei magis accommodavere.

Ad hanc itaque ætatem plurimi referunt.
Palladium Rutilium.
Juſtinum.
Terentianum Maurum.
Minucium Felicem.
Val. Maximum.
Soſipatrem Chariſium.

Inter Juris Conſultos, qui in cenſum imitandæ Latinitatis venere, & quorum fragmenta in Digeſtis habentur, ſunt
Licinius Proculus.
Neratius Priſcus.
P. Juventius Celſus.
Priſcus Jabolenus.
Domitius Ulpianus cæteris fortaſſe caſtigatior.
Herennius Modeſtinus.
Salvius Julianus.
Emilius Papinianus.
Julius Paulus.
Sex. Pomponius, & alii.

Poſt Marci Philoſophi obitum artes omnes obiiſſe videbantur. Cellarius *Hyginum* Auctorem Mythologiæ, & Aſtronomicon latinas literas tunc temporis excitaſſe contendit. Sed incerta nimis ſententia.

Imperantibus Gordianis floruere.
Cenſorinus.
Cæcilius Cyprianus.

Circa Diocletiani tempora Auguſtam hiſtoriam perſecuti ſunt.
Ælius Spartianus.
Vulcatius Gallicanus.
Jul. Capitolinus.
Ælius Lampridius.
Flavius Vopiſcus.

Et Conſtantini ætate *Trebellius Pollio*, quos ſex Scri-

Scriptores uno faſciculo conjunctos Caſaubonus, & Salmaſius ediderunt.

Reſumpſit res literaria vires, florente *Arnobio Afro*, ejuſq; Diſcipulo *Lactantio Firmiano*, fortaſſe ſupra ſuum Magiſtrum. Jis ſucceſſit

Jul. Firmicus.

Uterque Aurelius.

Julius Obſequens.

Panegirici veteres,

Latinus Pacatus,

Claudianus.

Amianus Marcellinus.

Sex. Rufus, ſeu, ut alii vocant, *Rufus Feſtus.*

Eutropius.

Macrobius, qui Theodoſiano ævo Scipionis ſomniũ, & convivales Saturnaliũ ſermones compoſuit.

Aurelius Symmacbus ſub Theodoſii, & Filiorum Imperio.

Vegetius.

Cari Auguſti, & Carini ætate *M. Aurelius Nemeſianus.*

T. Calpurnius Siculus.

Sub Conſtantino *Optatianus Porphirius.*

Ex hactenus recenſitis Auctoribus ſatis liquet, Scriptores ænei ſæculi non eſſe eodem judicio librandos univerſos. *Quemadmodum enim* (inquit Olaus) *& in ſenibus quandoque juvenilem ſuccum, floridaſque genas conſpicamur, & in ægris lucida ſæpè intervalla: ita & in Scriptoribus ſeneſcentis linguæ aliquando dictionem obſervamus floridam, & exquiſitam. Scilicet quò quiſque genium, majeſtatemque Tulliani ævi propiùs inſpexit, amavitque teneriùs, hòc præ cæteris eſtimandus eſt. Quapropter non ad tempora ſolùm in judicandis Auctoribus, ſed ad indolem etiam, ſtudium, exercitationemque reſpiciendum eſt.*

De

De incertæ ætatis Scriptoribus.

CAPUT VI.

CUm aliqui ſint Scriptores, de quorum ætate varias habemus ſententias; cumque aliquis eorum, ſi ſtylus ſpectetur, & elegantia, in ſuperióribus ætatibus cum dignitate ſtare poſſit, aliquis verò etiam infra luteum ævum detrudendus videatur: ita eorum Catalogum hic collocabimus, ut ad genium quiſque ſuum ſingulis propriam donet ætatem. Hi ſunt, quos Cl. Vir Jac. Facciolatus enumerat.

Æmilius Macer.
Meſſala Corvinus.
Vibius ſequeſter.
Jul. Exuperantius.
L. Ampelius.
Apicius Cœlius.
Sex. Pompejus Feſtus.
Chalcidius.
Zeno.
Probus Auctor notarum.
Fulgentius Planciades.
C. Cæſaris Germanici Aratea.
P. *Victor* de Legionibus Urbis Romæ.
Corn. Maximianus Gallus.
Auctores Priapeorum.
Auctores Catalectorum, quæ Virgilio, & Ovidio tribui ſolent.
Auctor Orationis Saluſtii in Ciceronem, & Ciceronis in Saluſtium.
Oratio, antequam Cicero iret in exilium.
Auctor Epiſtolæ ad Octavium, quæ Ciceroni tribuitur.

Decla-

Declamationes, quæ tribuuntur Quinctil.
Item *quæ Porcio Latroni.*
Item *quæ Calpurnio Flacco.*
Catonis diſticha moralia.
Scholiaſtæ Veteres.
Grammatici antiqui.
Rhetores antiqui.
Medici antiqui.
Rei agrariæ Scriptores.
Catalecta Petroniana, & errores Venerei.
Pervigilium Veneris, atque ea quæ inſcribuntur Baudii amores.
Poematia, & Epigrammata vetera a Pithæo, & Almelovenio collecta.
Fragmenta Hiſtoricorum collecta ab Auguſtino, & Riccobono.
Monumentum Ancyranum, & alia a Georgio Fabricio collecta.
Faſti Conſulares.
Inſcriptiones Veteres.
Legum antiquarum fragmenta.
Notitia dignitatum utriuſque Imperii &c.

De ferreæ ætatis Scriptoribus.

CAPUT VII.

QUod de æneâ ætate timidiùs pronunciarem, movente ſe adhuc vivaciter Romanâ Rep.: liberè de hâc tempeſtate dicã, quâ non jam vergebat in casũ, ſed ruebat Latinitas. Hinc quidquid tunc novi confictũ, barbaris fermè per omnia graſſantibus, barbarum haud dubiè æſtimandum erit. Haud inficior tamen, quod ſicuti pereunte Octaviano Auguſto, non ſtatim periere omnes aureæ ætatis Scriptores; nec illico cum Tra-

jano

jano omnes argenteæ: ita quoque poſt irruptionem Gothorum aliqui ſuperfuerint, qui ſæculi ſui horrorem vicerunt induſtriâ. Multos tamen initio hujus ætatis, nempe ſæculo V. latinè, & non ineleganter ſcripſiſſe, exceptis maculis quibuſdam, deprehendimus. Sed cum ferè omnes de Chriſtianâ Rep. ſint benemeriti, & inter Sacros Scriptores cooptati: ita rectum de jiſdem judicium facile erit cognoſcere apud D. Hieronymum, & Bellarminum lib. de Script. Eccleſ.

Odoardo poſtea in Italiam irruente circa annum Chriſti CCCCLXVI. nox illa, & caligo literarum adhuc manifeſtior apparuit, abſumptis jam morte, qui Honorii, & Arcadii Principatu priſtinam Muſarum gloriam quodammodò ſuſtinuerunt.

In fatali hujuſmodi literarum calamitate, qui minùs liberè indulſere barbariei, & qui, ſi non ſuperant, adæquant ſaltem æneæ ætatis Scriptorum induſtriam, ſunt

Sulpitius Severus.
C. Sedulius.
Rutilius Numatianus.
D. Hieronymus.
Sidonius Apollinaris.
Paulus Oroſius.
Dragontius.
Petrus Chryſologus.
Proſper Aquitanicus.
Martianus Capella.
C. Plinius Valerianus.
Claudius Mamertinus.
Nazarius.
Rufinus.
Salvianus.
Eumenius.

Sæculo

Sæculo VI. eruditè, & pro conditione temporum nitidiùs ſcripſere

M. Aurelius Caſſiodorus.

Priſcianus Grammaticus.

Severinus Boetbius.

Juſtiniani Codex, ejuſdemque Inſtitutiones.

Arator.

Venantius Fortunatus.

Nonius Marcellus.

D. Fulgentius.

Diomedes.

Gregorius Magnus.

Gregorius Turonenſis.

Sæculum VII. excepit.

Iſidorum Hiſpalenſem.

Eugenium Toletanum.

Anonymum Ravennatem.

Qui Sæculo VIII. nomen aliquod obtinuere, ſunt

Beda.

Flaccus Alcuinus.

Paulus Diaconus.

Sæculo IX. qui minùs infeliciter ſcripſerunt, ſunt

Rabanus Maurus.

Eginhardus.

Strabus Gallus.

Teodulphus Aurelianenſis.

X. Sæculo, latinâ ſcilicet linguâ prorſus jacente, ſcripſere.

Luitprandus.

Odo Severus.

Hodoardus.

XI. Sæculo celebris fuit

Haymo Floriacenſis, cui propiùs accedunt

Rodulphus.

Lambertus.
Medici Salernitani.
Petrus Damiani.
Marianus Scotus.

Sæculo XII.

Guntherus.
Sigebertus.
Saxo Grammaticus.
Hildebertus.
Gratianus.
Hugo.
Petrus Abailardus.
D. Bernardus.
Petrus Bleſenſis.

Sæculo XIII.

Philippus Gualterus.
Mathæus Pariſienſis.
Albertus Magnus.
D. Thomas Aquinas.
D. Bonaventura.

Initio XIV. Sæculi.

Jo: Scotus.
Alanus de Inſulis Anticlodianus dictus.
Robertus Beſtonus.
Gualterus Burlæus.

En ſquallida, qualis per IV. ferè ſæcula fuit, humanarum literarum facies! En quibus illæ jacuere ſordibus ab Alarici tempore uſque ad ultimos Ludovici Bavari Imp. annos! Nocti denique tam illuni ſplendidior ſucceſſit dies, cum feliciori pro literis fato, regnante Carolo IV, Italo tandem ſolo pulſa fuit barbaries; & primi quidem ad bene ſperandum ſignum extulere *Franciſcus Petrarca*, *Joannes Boccacius*, *Lombardus Sericus*, qui in patrias oras exulem latinitatem revocârunt, eique ſquallorem, ac virus, quo miſe-

ra

ra contabuerat, detraxere.

Initio ſæculi XV. *Poggius*, *Valla*, *F ccius*, *Philelphus*, *Barbarus*, *Blondus*, & alii veluti Vindices latinæ linguæ, Servatoreſque, aureæ ætatis adumbrata exempla ad imitandum Poſteris propoſuerunt.

Quid ſit Eloquentiæ finis;

CAPUT VIII.

Finis in quovis genere rerum dicitur *id extremum, ad quod omnia referuntur, ipſum autem ad aliud non refertur*. Itaque quoties conſiderare velis, quid illud ſit, cujus conſequendi gratiâ ars aliqua conſtituta eſt, illius artis finem facilè invenies.

Cum omnis Rhetoricæ induſtria, omneſque ejuſdem conatus huc certè ſpectent, ut Auditorum animos in quamcumque voluerit partem convertat, iiſque, quod ſuadere voluerit, perſuadeat: ita *perſuadere* erit finis Rhetoricæ, non *bene dicere*: ut aliqui imperitè clamitant. Cum enim artis præcepta referantur ad bene dicendum; bene dicere autem in eâdem arte pertineat ad perſuadendum: profectò fieri non poteſt, ut bene dicere ſit artis extremum; nam propter hunc finem, ut multitudini perſuadeamus, Rhetorica inventa eſt.

Orator tamen, ut finem obtineat, eum ſemper Auditoribus ſuis perſuadere neceſſe non eſt; ſed ſufficit, ut aptè dicat ad perſuadendum. Id enim diſcriminis eſt inter artes, quæ certis, & nunquam fallentibus præceptis conſtant, & eas, quæ in animi conjecturis ſunt poſitæ; ut illæ opus ipſum habeant pro fine, ſicuti Architectura ædi-

ficium; iſtæ non opus, ſed aliud, quod opere contineatur, ut ſui finem agnoſcant; ſic Medicina non utique ſanare, ſed appoſitè ad ſanandum curare. Hinc Tullius manifeſtè docet, in primo de Invent. in artibus perfectis, & nunquam fallentibus non poſſe ullo modo evenire, ut qui omnia ex arte faciat, & adhibeat, quæ in arte ſunt, non adipiſcatur finem; in artibus autem conjecturalibus finis quidem artificii propoſitus eſt, quò omnes muneris ſui referat functiones: at finem non ſemper aſſequitur. Quare hunc Galenus non putat appellandum eſſe *Finem*, ſed *Scopum*, ſed *Propoſitum*, quod Artifex intuetur.

Itaque cùm officium Oratoris ſit appoſitè dicere ad perſuadendum: ſi dabit operam, ut ſuæ omnes functiones quâvis in parte huc referantur; omniaque adhibeat, quibus munere ipſo præclarè fungatur, a ſuo utique fine non recedet.

Quibus rebus Eloquentia comparetur.

CAPUT IX.

Eloquentiam duabus maximè rebus comparari, diffuſè docet Quinctil. (1.) in ſuis inſtit: Naturâ ſcilicet, & Induſtriâ: quarum ultima in duobus occupatur, quæ ſunt, artis præcepta, & uſus, ſive exercitatio. Natura enim (inquit Voſſius) (2.) incipit: ars dirigit: uſus perficit. Maximam itaque ad dicendum vim affert Natura, (3.) in quâ celeres quidam animi, ſeu ingenii motus eſſe debent, qui ad excogitandum acuti, & ad explicandum, ornandumque ſint uberes. Quod ſi fortè

(1.) *lib.* 2. *c.* 9. (2.) *lib.* 1. *c.* 1.
(3.) *Quinct. l.* 11. *c.* 2.

forte alicui hujuſmodi deſit Naturà: non magis Rhetoricæ præcepta proderunt (inquit Fabius) quàm de agrorum cultu ſterilibus terris: Quarè vulgò dici ſolet, Eloquentiam, mediocrem ſaltem, aut citò, aut nunquam parari. Quamquam non ſtatim infelicioribus ingeniis deſperandum. Natura enim invaleſcit, ſi arte, & exercitatione adjuvetur. Ars certior dux eſt, ut ait Cicero, (4.) quàm Natura; & Horatius

Doctrina ſed vim promovet inſitam,
Rectique cultus pectora roborant.

Ab Arte itaque conſilium petatur, quid, & quomodò dicendum; eamque voce Magiſtri potiùs, quàm lectione comparandam eſſe Plato in Phædro monet; cum in voce quædam ſit vis, & energia, quæ lectioni non ineſt; tenaciùſque hæreant, quæ aure percipiuntur, quàm quæ oculis fuerint ſubjecta.

Exercitatio denique non tantùm, inquit Cic. (5.) ſed etiam prorſus neceſſaria eſt. Nihil enim, aut certè parum Ars poterit ad Eloquentiam conferre; niſi frequens, & penè quotidiana dicendi exercitatio conjungatur. Etenim, ut ait Ariſtotiles, ipſa nobis Rhetorica quodammodò naturalis, quà omnes naturali quodam inſtinctu aliquomodò ſciant accuſare, & defendere, ſuadere, & diſſuadere, laudare, & vituperare. Quamobrem quoties ad naturam accedit uſus, & exercitatio frequens, omnium Magiſtrorum præcepta ſuperari, planè deprehendimus.

Præceptis, atque exercitationi multijugam Cicero (6.) addit doctrinam, ſine quâ Eloquentia verborum erit volubilitas inanis, atque irridenda. Quod, ne contingat, *tenenda potiſſimùm eſt* omnis

B 3

(4.) *lib. 3. de finib.* (5.) *lib. 1. de orat.* (6.) *Ibid.*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

omnis antiquitas, exemplorumque vis; dandaque opera tum Philoſophiæ Civili, quæ prudentiam afferat Oratori, tum ſcientiæ rerum naturalium; unde ſæpè ſimilitudines petuntur. Perdiſcendum jus civile: cognoſcendæ leges: jura ſociorum: fœdera &c. Libandus eſt etiam ex omni genere urbanitatis facetiarum quidam lepos, quo tanquam ſale aſpergatur omnis oratio.

Sunt, qui iis omnibus Imitationem adjiciant; ſed ea ſub uſu comprehenditur; cum in legendis, pervolvendiſque optimis Scriptoribus tota contineatur.

Quot ſunt Eloquentiæ partes.

CAPUT X.

IDem non eſt de partibus Eloquentiæ vel veterum, vel noſtræ ætatis Scriptorum judicium. Alii quinque, alii ſex, alii tres tantùm ſtatuerunt; nos tamen Ciceroni, & Quintil. ſententiam, ut veritati magis conſonam amplectemur, & explicabimus; quorum primus in 2. de orat. alter in lib. 3. cap. 3. quinque conſtituerunt Eloquentiæ partes, nempe *Inventionem*, *Diſpoſitionem*, *Elocutionem*, *Memoriam*, *& Pronunciationem*.

Partes autem hoc loco non veluti ſpecies, & formas intelligimus, ſed quaſi membra quædam, ex quibus conſtat Eloquentia: tanquam Domus ex fundamentis, parietibus, & tecto. Sicut enim, inquit Cic. (1.) *permagni refert, ut in prælio, quemadmodùm acies inſtruatur: item in Oratione, quo loco, quidque dicatur, quid ſit primum, quid medium, quid poſtremum, ſcire neceſſe eſt*. Hinc primò oportet, Oratorem, ut munere fungatur ſuo, ſententias

(1.) *Initio part. Orator.*

tias invenire, quæ influant in mentes Auditorum, quæque vim habeant perſuadendi; inventas deinde opus eſt collocare, aptèque diſponere: diſpoſitas exornare puris, emendatiſque verbis, & figuris. Sed ſi ſententiæ, aut ſententiarum Ordo, aut verba, aut verborum compoſitio excidant: nihil idoneè ad perſuadendum efferri poterit. Quapropter memoria requiritur, quæ quaſi cuſtos ſit, & fundamentum partium ſuperiorum. Verùm hæc omnia velut quibuſdam offuſa tenebris jacent penitus in animo, niſi pronuncientur, & agantur.

Rhetoricarum Inſtitutionum

LIBER SECUNDUS.

In quo de Elocutione.

CUM Elocutionis principium, & finis ſit emendatè loqui, aptiſque Auditorum animos argumentis, quocumque velit, impellere; faciliùs verò accidat, orationem verbis figuriſque exornare, quàm eamdem rebus ad fidem faciendam accommodatis locupletem efficere; hinc operæ pretium me facturum puto, ſtudioſæque pluriniùm Juventutis commodo profuturum: ſi a facilioribus incipiendo, ad difficiora progrediar. Itaque primò de Elocutione verba faciam: inde ad cæteras Eloquentiæ partes difficillimas declarandas animum, & vires alacriùs, fidentiùſque convertam.

Quid ſit Elocutio,
Et quibus partibus conſtet.

CAPUT I.

DUplex Elocutionis genus proponit Hieronymus Regius:(1.) *Oratoriam* ſcilicet, & *Poeticam*. Et quamvis elocutio omnis, teſte Ariſtotile, a Poetis profecta ſit ad Oratores; multùm tamen horum, illorumque Elocutio diſtat.

Elo-

(1.) *De emend. eloc. lom. 1.*

Elocutio autem *Oratoria* (2.) *eſt rerum inventarum, & diſpoſitarum per verba, ſententiaſque expoſitio ad perſuadendum idonea*. Ex quâ definitione patet, Elocutionem non tantùm verba, verùm etiam res ipſas comprehendere, quibus ſuis veluti luminibus Oratio, & figuris coloretur, & ſententiis opportuno ſale conſperſis fulciatur.

Poetica, in quâ *Tragica*, & *Comica* continetur, ea eſt, *quæ à communi dicendi genere excluditur*. Quamobrem Cicero (3.) Poetas, ait, quaſi aliâ quadam linguâ loqui.

Quamquam verò ſententiæ ad Inventionem pertineant; nihil tamen prohibet, quominùs ad utramque poſſint partem referri: ad Inventionem ſcilicet, quatenus probant: ad Elocutionem autem, prout exornant.

Elocutio igitur ſola eſt, quæ res diſtinguit, & explicat: quæ illuminat: quæ amplificat: quæ eaſdem ſæpe verſat: in iiſdem hæret, ibique commoratur, ſed vario habitu, variis figuris, miris omnino modis. Ille eſt, inquit Cic. de Orat., ſermo eloquens, in quo quidem copia, ſed quæ ſatietatem non inducat: in quo ſales; ſed qui importuni non frigeant: in quo eruditio; ſed quæ nimia non enecet: in quo affectus; ſed qui in Auditore ipſo naſcantur.

Dividitur elocutio apud Tullium in *Elegantiam*, *Compoſitionem*, *& Dignitatem*; quæ partes tantam habent inter ſe connexionem, ut alteram alteri adhærere, neceſſe ſit. Lectiſſimis enim, probatiſſimè utere vocabulis: nunquid eloquens ſtatim Orator? Sint etiam affabrè, induſtrièque confectæ periodi: num propterea Elocutionem attigiſti? Si figuras, & tropos proprio loco, ac tempore non col-

(2.) *Voſſ. de part. Orat. l. 6. c. 1.* (3.) *l. 2. de Orat.*

collocaveris; ſi diligentiſſimè ſuum cuique Orationis parti artificium, lucem, & quaſi colorem non appoſueris; ab Elocutionis metâ longè te aberraſſe, omnes humanæ Eloquentiæ Vindices, Servatoreſque judicabunt.

De Elegantiâ,
Seu de verborum vitiis, & virtutibus.

CAPUT II.

ORnamentum, quo fermè uno Oratoria ars ab aliis diſtinguitur, & in ſuo quodam genere collocatur, adeò in eleganti verborum delectu repoſitum eſt; ut nemo vocari poſſit Orator, qui hâc dote careat, quæ vel ſola, vel penè ſola per varia genera, per varios, ut ita dicam, colores ingenia parit ad Eloquentiam. Hinc bene Tullius (1.) ſibi perſuadet Inventionem, ac Diſpoſitionem prudentis hominis eſſe: Oratoris verò Eloquentiam; quam alibi a verborum delectu originem trahere, fatetur. Nihil igitur illius ætatis, quæ Rhetoricis vacat, tam proprium eſſe debet, quam diligens, ac diuturnum verborum ſtudium, quo vitia, quæ incultâ in dictione inveniuntur, prorſus effugiat.

Verba, quæ a germanâ latini ſermonis puritate deflectunt, ſequenti diſticho continentur.

Sordida, priſca, nova, antiquata, poetica, dura;
Turpia, rara, nimis, vel peregrina cave.

Sordida ſunt ea, quæ e triviis ſumpta, & fæce vulgi, nauſeam, & ſtomachum provocant Audientibus.

Priſca ea vocamus, quæ ab uſu quotidiano fere inter-

(1.) *In Orat. c.* 14.

intermiſſa, locum in oratione non habent, niſi cautè admodùm adhibeantur. Uti *eluere*, pro pugnare: *creperum bellum* pro dubio: *pauperare* pro pauperem facere, & ſimilia.

Nova dico, quæ nondum Eruditorum ſuffragiis admiſſa pro libito excogitantur. Hæc diligentiſſimè evitet Orator, niſi irrideri fortaſſe velit. Exemplum habemus apud Cicer. in Bruto hujuſmodi hominis nova verba affectantis: *Siſenna peſſimus Orator quædam ſputatilica crimina dixit: Circumvenior, exclamat accuſator, quid hoc eſt, ſputatilica? Sputa quid ſit, intelligo; tilica neſcio. Ubi maximi riſus ſunt excitati.*

Antiquata verba appellantur, quorum ad intelligentiam cum vetuſtate ipsâ ſint abſumpta, egemus Interprete. Quapropter liquidò conſtat, vocibus latinis non omnibus promiſcuè utendum eſſe; quoniam ſermo magnas habet commutationes; nec quidquam planè eſt mutabilius. Quemadmodùm ergo in arboribus vetera folia decidunt, nova oriuntur: ſic in uſu loquendi, antiqua verba abolentur: multa exiliunt nova, & ætatibus ferè ſingulis immutata, ut elegantiſſimè innuit Horatius de arte Poet.

Ut ſylvæ foliis pronos mutantur in annos,
Prima cadunt: ita verborum vetus interit ætas;
Et Juvenum ritu florent modò nata, vigentque.

Poetica effrænem continent in translationibus licentiam: veluti ſunt *Catachreſes, Metaleoſes*. Item nomina *patronimica*, & verba *ſimplicia*, quæ de Poetarum penu deprompta ſunt. V. g. *Romulidæ, Velivolum mare*, *grates* pro gratias, *olli* pro illi, *altum* pro mari.

Dura, genus ſunt quoddam verborum agreſte, & inſuave, quod vix apud latinæ linguæ Principes reperies, non aliam ab cauſam, niſi quia au-

xibus

ribus eruditis aſperum quid, & inamabile ſonat. Hæc verborum durities aliquando promanat ab inflexione: ut *Specimen*, *Concordia*, non diſplicent; verùm *Specimina*, *Concordiarum*, inſuavia ſunt; atque ideò veteres multa per ſincopen efferunt: *ut Numûm*, *Ducum*, *Virûm*; quia ſequimur aurium judicium in efferendo. Hinc factum eſt, ut Veteres dicerent, *Pomeridianum* potiùs, quàm poſtmeridianum, *Paulùm*, quàm Pauxillum.

Verba *turpia* ad ſui furoris Interpretes admandentur, impudicos, & fædos homines, qui ſuâ culpâ viros a ſe honeſtos prohibuere. Orator autem meminerit illius Quinctiliani (2.) ſententiæ: *Nec ſordidis uſquam in eruditâ Oratione locus.* Quædam enim ſatiùs eſt (inquit Seneca declam. 2.) vel cum cauſæ detrimento tacere, quàm cum verecundiæ detrimento dicere. Quod ſi turpia neceſſariò in cauſam inciderint: uti illum oportet eâ arte, quâ M. Tullius (3.) utitur; ut quædam quaſi coactus præteritione attingat, præfetur, & veniam petat.

Rara ſunt, quæ apud notæ melioris Auctores vix aliquando reperiuntur. Hæc vitanda eſſe inquit Cic. (4.) Inſipientis enim eſt, putare paſſim hoc licere nobis, quod fortaſſe uno, alterove in loco ſibi Scriptor aliquis permiſſum cenſuerit.

Voces denique *peregrinæ* ſunt illæ, quas ab aliâ natione mutuamur; in quibus uſurpandis maximè advertendum eſt, nè crebrò id faciamus. Poeticum enim eſt magis, quàm Oratorium; & ex his conflata friget Oratio. Sententiæ verò aliâ linguâ aliquando adhibendæ ſunt, ſed illæ breves, & quæ paulò poſt latino ſermone explicentur. Sæpè etiam ſine vitio peregrinis vocabulis uti licet; quia multa uſu ſunt recepta

(2.) *lib.* 8. *c.* 9. (3.) *In verr.* (4.) *lib.* 3. *de Orat.*

recepta ab aliis Gentibus, multa Rom. Civitate donata. V. g. *Gaza*, perſicum vocabulum eſt, ſed non modò Virgilius, verùm etiam M. Tullius eo utitur. *Lanceam* ab Hiſpanis, *Mappam* ab Afris acceperunt Latini. Verùm nullius Gentis plura ſunt in Sermone Latino, quàm Græcorum. *Syngrapha* enim, *Chirographum*, *Diploma &c.* in orationibus latinis reperiuntur, quæ tamen e fonte græco ſunt hauſta. Neque nos igitur verebimur, ſiquando neceſſe fuerit, græco verbo pro latino uti, cum nos latinũ diligenter quæſitum deficiet; imò ſi propriæ res cujuſcumque Gentis erunt ſignificandæ: peregrinis utamur vocibus; quas tamen, ut fieri commodè poterit, ad latini ſermonis conſuetudinem accommodabimus. Sic Cicero *Ephoros* Magiſtratum Lacedæmoniorum, *Archontem* Athenienſium vocat.

Omnia autem vitia, quæ in ſingulis verbis proferendis conſiſtunt, unico *Barbariſmi* nomine, & genere continentur. Strabo (5.) Barbariſmi originem exponens, inquit: conſueviſſe quoſdam exterarum Gentium Mercatores Athenas confluere exponendarum mercium gratiâ; atque inter negotiandum, cum non poſſent, ſenſa mentis facilè exponere, exclamare eos ſolitos *Bar Bar*; quod Athenienſes notârunt; omnemque inde impolitum ſermonem, atque ab avitâ alienum elegantiâ Barbariſmum vocarunt. Barbariſmus ergo tunc eſt, (6.) *cum aliquod verbum vitiosè effertur*: quod tribus modis contingit: (7.) Primò, cum aliquod vocabulum non latinum orationi inſeritur. Secundò, cum aliquid inſolenter, crudeliterque dicitur. Tertiò, cum alicui verbo ſyllaba, vel litera detrahitur, vel adjungitur, vel mutatur.

Quæ

(5.) *lib. 4. Geograph.* (6.) *Ad Heren. lib. 3.*
(7.) *Comment. in Cic. partit.*

Quæ in verbis conjunctis admittuntur vitia, unico *Solæciſmi* vocabulo comprehendi, docet Tullius de partit.. Strabo, loco ſuperiùs citato, refert Solonem in Ciliciâ erexiſſe Urbem, *Solonemque* nominaſſe; quò cum Nationes variæ confluxiſſent, & Atticum ſermonem corrupiſſent: Athenienſes, ut eos irriderent, dum loquebantur, *Solæcizin* eos, non loqui dicebant; unde Solæciſmus.

Eſt autem Solæciſmus, ut in 4. ad Heren. definitur, *cum pluribus verbis conſequens verbum non accommodatur*. Namque ut in ſimplicibus verbis quod non eſt latinum, ſic in conjunctis quod non eſt conſequens, vituperandum eſt.

In verborum itaque delectu omnem animi contentionem conferre debemus, ut in ſingulis inveniendis intueamur, quæ Romana ſint: quæ civitate donata: quę latina; quæ in Latinorum colonias adſcripta; quæ plus, quæ minùs habeant leporis, & ponderis. Inſuper ſive ſimplicia ſint; ſive conjuncta verba, quinque illas virtutes habere debent, quibus maximè acceptabilia fiunt, nempe ut *Clara* ſint: ut *Brevia*; ut *Probabilia*; ut *Illuſtria*: ut demum *Suavia*. His equidem quinque quaſi luminibus tota Eloquentiæ, virtus effulget. Debet igitur Oratio eſſe *Clara*, ut intelligatur; *Brevis*, ne tædium afferat; *Probabilis*, ut fidem faciat; *Illuſtris*, ut moveat; *Suavis*, ut delectet. Quare minimè pigeat Adoleſcentes, ex probatis Auctoribus magnam ſibi verborum optimorum ſupellectilem comparare, propria rerum vocabula prædiſcere, variam ejuſdem vocis ſignificationem dignoſcere, aliis atque aliis modis rem eamdem explicare, ſelectiora lexica pervolvere, atque aliqua quotidiè memoriæ mandare; ne quoties latinâ voce utendum erit, præſenti indigeant Nomenclatore; & veluti hærere ſcopulo ad omnia vocabula videantur.

Utiliſſimum quoque eſt, & perneceſſarium eos, qui Juventutem inſtituunt, linguæ latinæ puritatem, candorem, ſuavitatem, proprietatemque retinere, atque adeò illam urbanitatem, quam deſideramus; quoniam ut vaſa fictilia ſemper id redolent, quod in eis primùm infuſum eſt, ut innuit Horatius

Quo ſemel eſt imbuta recens, ſervabit odorem
Teſta diu.

Sic Puerorum ingenia ea diutiſſimè ſervant, quæ prima didicerunt; atque eò magis ſi corrupta ſint, & depravata. Quarè etiam tutum non eſt, Pueris ad latinam Eloquentiam informandis librorum copiam exhibere; quin illis nullâ cōditione permittendum, ut extra principes latinitatis Auctores evagentur. Tum ubi aurium judicium jis legendis fuerit confirmatum: licebit ſinè periculo evolvere cæteros Auctores, ad omnem ſermonis varietatem dignoſcendam.

De Compoſitione.
Et de primâ ejus parte, quæ eſt junctura.

CAPUT III.

Compoſitio eſt, (1.) *quæ ex idoneâ verborum, ſententiarumque ſtructurâ ornatum affert Orationi.* Quantò enim, inquit Fabius, (2.) vehementior fluminum curſus eſt prono alveo, ac nullas moras objiciente, quàm inter obſtantia ſaxa fractis aquis, ac reluctantibus: tantò quæ connexa eſt, & totis viribus fluit fragosâ, atque interruptâ melior Oratio.

Compoſitioni ſubjiciuntur quatuor: *Junctura, Ordo,*

(1.) *Voſſ. de part. Orat. l. 5. c. 1.* (2.) *lib. 9. c. 4.*

Ordo, *Periodus*, & *Numerus*. Junctura præſtat, ut (1.) *Oratio ſit ex verbis conſonantioribus, lenioribus, & quodammodò nitidioribus compacta; aut ſi rei, de quâ agitur natura ita ferat, contrario modo ſit affecta*. Sunt igitur naturâ ſuâ verba aliqua magis conſonantia, quibus in Exordiis, & in ſublimi dicendi genere utimur; alia minùs, quibus in Epiſtolis, & Sermonibus uti ſolemus.

Quatuor potiſſimũ regulas ex Cicerone adnotavimus, quibus facilè conſonantiora verba dignoſcuntur. Prima eſt, ſi ſuperlativa pro abſolutis ponantur, ut pro l. manil. *Quanquam mihi frequens conſpectus veſter multò jucundiſſimus, hic autem locus ad agendum ampliſſimus, ad dicendum ornatiſſimus eſt viſus*. Hoc in uno membro tria ſunt ſuperlativa; quæ ſi, quis tollat, & eorum loco poſitiva ſubjiciat: omnis profectò ſonus, & venuſtas aufertur. Hæc eadem ſuperlativa conſonantiora fient, ſi in plurali numero proferantur: ut pro Corn. Balbo: *Si auctoritates Patronorum in judiciis valerent: ab ampliſſimis Viris L. Cornelii cauſa defenſa eſt; ſi uſus: a peritiſſimis; ſi ingenia: ab eloquentiſſimis; ſi ſtudia: ab amiciſſimis*.

Secunda regula eſt, ut verbalia pro abſolutis ponantur; ſæpe enim quæ ex verbis deducuntur majorem efferunt ſonum. Ita Cic: in proœ. Orat. ajt. *Philoſophiam laudandarum artium omnium procreatricem quamdam, & quaſi parentem eſſe*. Ita Virg. *Regnatorem Aſiæ* dixit, quia conſonantius erat, quàm, Regem; & *Ductores Danaûm*: quòd grandius, quàm *Duces*.

Tertia Regula, quod verbis compoſitis frequentiùs utamur: ut pro Roſc. Amer. *Parentum pœnas à conſceleratiſſimis filiis repetunt*: non tam grande ſonaret verbum *ſceleratiſſimis*.

Quar-

(1.) *Voſſ. Ibid.*

Quarta regula: quæ plures habent ſyllabas conſonantiora ſunt, quàm quæ pauciores; ut *tempeſtas*, quàm *tempus*: *moderatio*, quàm *modeſtia*. Cic. contra Rul. *Quâ tempeſtate Pœnus in Italiam venit*.

Junctura lenem, & nitidam etiam elocutionē facit. Ut autem utraque in Oratione fulgeat virtus; verba omnia pudenda, & inquinata devitet Orator, ut in cap. de elegantiâ oſtendimus. In nitidis inveniendis verbis nemini cedit Virgilius, ut in primo Æneid.

Reſtitit Æneas, purâque in luce refulſit,
Os, humeroſque Deo ſimilis, namque ipſa decoram
Cæſariem nato Genitrix, lumenque juventæ
Purpureum, & lætos oculis afflarat honores,
Quale manus addunt ebori decus &c.

Sunt hæc omnia lenia, & nitida. Quæ enim molliter inflectuntur, leniora habentur, ut *meliuſculè Tulliola &c.*

Verba etiam his contraria, de quibus diximus, hoc eſt minimè ſonantia, levia, & humilia, aſpera, atque horrida locum habent in oratione; atque eis utimur præſertim contra adverſarios, & quotieſcumque res ipſa poſtulare videtur. Ita Quinct. (4.) non ſemper augendam eſſe orationem, inquit, ſed ſubmittendam aliquando; ipſa enim verborum humilitas rebus vim affert, & robur. Quid illis verbis abjectius, quibus utitur Cicero in Piſonem? *Nemo queritur, Syrum neſcio quem de grege Novitiorum, factum eſſe Conſulem. Non enim color iſte ſervilis, non piloſæ genæ, non dentes putridi deceperunt.*

Idem Quinctilianus (5.) plurima in Juncturâ enumerat vitia.

Primò. Si commiſſis inter ſe verbis duobus, ex ultimâ prioris, ac primâ ſequentis ſyllaba defor-

(4.) *lib.* 8. *c.* 3. (5.) *lib.* 9. *c.* 4.

me aliquod nomen efficitur.

Secundò. Nimius vocalium concurſus; qui, cum accidit, hiat, & quaſi laborat Oratio. Præcipuus tamen erit hiatus earum, quæ cavo, aut patulo ore efferuntur. E planior litera eſt. I anguſtior; ideòque obſcurius in his vitium.

Tertiò. Si conjunctæ ſint conſonæ, quæ in commiſſurâ rixantur. Hinc Veteres Eucophoniæ causâ ſæpè in connexione literas alias pro aliis ſubſtitüerunt. Sic quia B durè ſonat cum F; itemque N ante L; idcirco *aufero* dixere, pro *abfero*, *colloco* pro *conloco*.

Quartò. Ne ſyllabæ verbi prioris ultimæ ſint primæ ſequentis; licèt id aliquando elegantiæ ſit, ut in Virg. *Fama malum*. Et in Cic. *Res mihi inviſæ viſæ ſunt Brute*, & alibi; quæ tamen Fabius Ciceroni excidiſſe judicat.

Quintò. Ne plurima ſint continuata monoſyllaba; quia neceſſe eſt, compoſitio multis clauſulis conciſa ſubſultet.

Sextò. Si brevium verborum, ac nominum non vitetur continuatio; & è diverſo quoque longorum.

Septimò. Si cadentia ſimiliter, & ſimiliter deſinentia, atque eodem modo declinata multa ſimul jungantur.

Octavo. Si verba quidem verbis, aut nomina nominibus, hiſque ſimilia continuentur; cum virtutes etiam ipſæ tedium pariant, niſi gratiâ varietatis adjutæ.

De

De ſecundâ Compoſitionis parte,
Quæ eſt Ordo.

CAPUT IV.

ORdo in Compoſitione adeò poteſt, ut teſte Tullio de Orat. ad vincendum nulla res plus poſſit; qui tunc habetur, quando verba ita invicem conjunguntur, ut nihil meritò intercipi queat. Hæc in eo ſunt ex Fabio obſervanda.

Primò. Ne amplificando decreſcat Oratio, & fortiori ſubjungatur aliquid infirmius, ut *ſacrilego fur*; augeri enim debent ſententiæ, & inſurgere. Sic Cic. *Tu, inquit, iſtis faucibus, iſtis lateribus, iſtâ gladiatoriâ totius corporis firmitate*. Aliud enim, majus alio ſupervenit. At ſi cæpiſſet a toto corpore, non bene ad latera, faucesque deſcenderet.

Secundò. Ne idem Ordo ſervetur ex enuando; contrarius enim requiritur: ut ſcilicet a fortioribus ad infirmiora deſcendatur.

Tertiò. Ne quod naturâ, vel dignitate præſtantius eſt, poſtponatur; ſicque *viros, ac fæminas, diem, ac noctem, ortum & occaſum* dicas, non è contrario. Cicero tamen non refugit *noctes, dieſque*.

Quartò. Nè poſteriori loco collocentur, quæ ſic poſita ſunt ſupervacua, ut *Fratres gemini*; nam ſi præceſſerint *Gemini*, *Fratres* addere non eſt neceſſe.

Quintò. Ut vocabula verbis, verba rurſus adverbiis, nomina appoſitis, & pronominibus ſint priora. At frequenter etiam contra fit cum ſummo Orationis decore.

Sextò. Verbo, ſi compoſitio patiatur, ſenſum claudere optimum eſt; in verbis enim ſermonis vis ineſt. Quod ſi id aſperum fuerit, cedat ratio numeris.

Voſſius quoque ſua addit præcepta, nec ea quidem aſpernanda, ad optimam verborum collocationem, ſeu Ordinem.

Primò. Inter ſubſtantivum, & adjectivum aliquid interjicere, elegans eſt; ut apud Cic. ad Lent. *Aut occultata nonnullorum odia, aut obſcura in me ſtudia cernebam.*

Secundò. Adjectivum elegantiùs ſuo Subſtantivo poſtponi ſolet, quando vel comparativum, vel ſuperlativum eſt, vel pronomen, ſub quo comprehenduntur diſtributiva, partitiva, & numeralia. V. g. *Virtute maximâ: Amicus quilibet: annus ſextus.*

Tertiò. Particula *Si* eleganter ſecundo loco ponitur. Ut: *id ſi feceris.*

Quarto. *Quàm* ponitur venuſtiùs inter nomina, imum locum obtinente comparativo V. g. *Boni quàm docti gratiores eſſe debent: Ejus nomen quàm Solonis illuſtrius.*

Quintò. Negantia ſcitè ponuntur extremo loco. Ita Cic. *Qui bonos poſt conditam hanc Urbem habitus togato ante me nemini.* Et Cæſ. de bel. Gal. *Quod ante id tempus acciderat nulli.*

De Tertiâ Compoſitionis parte
Seu de periodicâ Oratione.

CAPUT V.

PEriodi varietatem, & elegantiam plurimùm oratoriæ Compoſitioni prodeſſe, teſtatur Cicero (1.) ubi aut *Circumſcriptione concluſâ*, aut *Intermiſſione*, aut *Conciſione verborum* dilucidam fieri Orationem affirmat.

Circumſcriptio ea eſt, quæ græco nomine *Periodus*

(1.) *de part. Orat.*

dus appellatur, latinè etiam *ambitus*, & *circuitus*. Hæc ex Cic. (2.) definitur: *Oratio in quodã quaſi orbe incluſa procurrens, quoad inſiſtat in ſingulis, abſolutiſque ſententiis*.

Periodi partes ſunt *Intermiſſio*, quæ alibi a Tullio *membrum Orationis* dicitur, a Græcis, *Colon*; & *Conciſio*, quæ alio nomine *Inciſum*, & grecè *Comma* appellatur.

Membrum, ſeu Colon eſt *pars periodi, quæ extra periodum ſententiam abſolvere poſſit*.

Inciſum, vel Comma eſt *pars periodi, vel membri, quæ extra periodum, vel membrum ſententiam abſolvere non poſſit*.

Non ſemper Rhetores intra rigidæ hujus definitionis leges continentur. Sæpè enim id vocant membrum, aut Inciſum, quod propriè non eſt pars periodi: ut ſi plures paucis verbis perficiantur ſententiæ; qui modus dicendi vocatur *Inciſim*, aut *membratim dicere*. Ita Comma eſt: *nè quid nimis*. Colon: *Quem quæſo noſtrum fefellit, ita nos eſſe facturos*. Utrumque reverà eſſet periodus, quia per ſe complet ſententiam. Hinc eſt, quod ſive Inciſum, ſive Membrum, vel extra periodum, vel ut periodi pars conſiderantur. Priori modo ſententiam reipsà perficiunt, poſteriori verò non reipsà, ſed poteſtate; quia demum avulſa a Periodo complent ſententiam.

Ad clariorem intelligentiam, virgilianam Periodum, eamque perbrevem recitemus: *Ante focum, ſi frigus erit, ſi meſſis in umbrâ*: Hæc Periodus conſtat duplici Membro: utrumque in Periodo poſitum ſuſpendit animum; & utrumque tamen complere poteſt ſententiam. Perfectus enim ſenſus eſt: *ante focum, ſi frigus erit*. Perfectam

 etiam

(2.) *lib.* 1. *de Orat*.

etiam ſententiam conſtituit : *Si meſſis in umbrâ.*

Extra Periodum Inciſis utimur in Oratione concitatâ, ac vehementi, ut apud Terent. *Ubi quæram? Ubi inveſtigem? Quem percunčter? Quam inſiſtam viam?* Et cum ſermo interrogationibus, ac reſponſionibus ad invehendum conficitur, ut pro Mil. *Domus ſibi deerat? at habebas. Pecunia ſuperabat? at negabas.*

Membrum vel eſt ſimplex, quod non reſolvitur in Inciſa, ut pro Mil. *Quid faciam pro tuis in me meritis;* vel compoſitum, quod ex Inciſis componitur, ut pro M. Marcel. *Quidam enim non modò armatis. ſed interdum etiam otioſis minabantur.*

Multiplex etiam ex Membrorum, quibus conſtat, multitudine erit Periodus. Quæ unico tantum circumducitur membro, dicitur *Unimembris*, ſeu *Simplex*; quæ duplici: *Bimembris*; quæ triplici: *Trimembris*; quæ demum quadruplici: *Quadrimembris*.

Periodus igitur Unimembris, vel ſimplex eſt *ſententia longius quidem producta, ſed unico membro concluſa*. Exemp. habemus in Tullio: (3.) *Tu ætatem Patriæ, tu deſcriptiones temporum, tu ſacrorum jura, tu Sacerdotum, tu domeſticam, tu bellicam diſciplinam, tu Sedem regionum, locorum, tu omnium divinarum, humanarumque nomina, genera, cauſas, aperuiſti.*

Periodus Bimembris, ſive *Dicolos* eſt *ſententia duobus membris concluſa*, ut illa ex Tullio: (4.) *In Lucullo tanta prudentia fuit in conſtituendis, temperandiſque Civitatibus: tanta æquitas, ut hodie ſtet Aſia Luculli inſtitutis ſervandis, & quaſi veſtigiis perſequendis.*

Periodus Trimembris, ſeu *Tricolos*, eſt *ſententia,*

(3.) *Acad. Quæſt. lib.* 1. (4.) *Ibid. lib.* 2.

tia, qua tria membra comprehendit, ut pro leg. Manil. *Tentane unius hominis incredibilis, ac prope divina virtus, tam brevi tempore lucem afferre Reip. potuit; ut vos, qui modò ante oſtium Tiberinum claſſem hoſtium videbatis: hi nunc nullam intra Oceani oſtium prædonum navim eſſe audiatis.*

Periodus Quadrimembris, five *Tetracolos quatuor ſemper membra complectitur*; atque hujuſmodi orationis ambitus plenus, & integer a Tullio vocatur. Exemp. habes in Paneg. Pacati: *Cum admiratione virtutum tuarum ab ultimo Galliarum receſſu, quà litus Oceani cadentem excipit Solem, ad contuendum te, adorandumque properaſſem; ut bona, quæ auribus, etiam viſu uſurparem: timui, fateor, pii laboris officium, impiâ taciturnitate corrumpere.*

In conficiendis autem Periodis lex traditur intemeratè obſervanda Oratori, ut duabus conſtent partibus: *Protaſi* nempe, & *Apodoſi*. Protaſis eſt *prima pars Periodi, quæ ſuſpenſam tenet ſententiam; & in quâ Oratio creſcit quodammodò, & attollitur*. Apodoſis *eſt altera pars, quæ ſententiæ ſuſpenſionem tollit; & in quâ Oratio perfecta conquieſcit*.

Hujuſmodi faciunt ſuſpenſionem particulæ omnes, quæ ſenſus habent relativos; adeò ut una alteram neceſſariò expectet, v. g. *Etſi: licèt: ſicut: cum: quantùm: ſi: neque verò: quamobrem &c.* His adde participia v. g *cogitanti mihi*, atque alia innumera, quæ poſita in unâ Orationis parte, aliam ſtatim reſpiciunt. Exempla paſſim in Cic. aliiſque Scriptoribus occurrunt. In Acad. lib. 2. habes Periodum Bimembrem hâc lege compoſitam: *Ad quamcunque ſunt diſciplinam quaſi tempeſtate delati* (En Protaſis) *ad eam, tanquam ad ſaxum, adhæreſcunt*. (En Apodoſis.)

Neque ſimplex Periodus hâc lege liberatur; nam

aut hæc etiam expreſſam Protaſim habet, & Apodoſim; vel ſi careat: ſuſpenſione tamen non caret, quâ ſenſum unum ſic circumducit, ut in fine tantùm abſolvat. Exemp. primi generis eſt: *Gratiâ tantùm poſſumus, quantùm victi*. Exempl. ſecundi pro M. Marcel. *Soleo ſæpe ante oculos ponere, idque libenter crebris uſurpare ſermonibus, omnes noſtrorum Imperatorum, omnes exterarum Gentium, potentiſſimorumque Populorum, omnes clariſſimorum Regum res geſtas cum tuis, nec contentione magnitudinis, nec numero præliorum, nec varietate regionum, nec celeritate conficiendi, nec diſſimilitudine bellorum poſſe conferri.*

Altera regula, & quidem notatu digna eſt, ut Periodi Membra nexibus quibuſdam inter ſe tam aptè cohæreant, ut Membrum unum ab altero ſeparari non poſſit, quin tota Periodi machina deſtruatur. Hinc miror plures Auctores, hanc fortaſſe legem non animadvertentes, plura adduxiſſe exempla periodi vel trimembris, vel quadrimembris, in quibus hujuſmodi dependentia unius membri ab altero non elucet. Tale eſſet petitum a Cic. pro Roſc. Amer. de ſupplicio Parricidarum. *Ita vivunt, ut ducere animam de Cælo non queant; ita moriuntur, ut eorum oſſa terra non tangat; ita jactantur fluctibus, ut nunquam abluantur; ita poſtremò ejiciuntur, ut ne ad ſaxa quidem mortui conquieſcant*. Nulla prope hic eſt inter membra dependentia, & connexio; imò & eorum quodlibet per ſe poteſt Periodum efficere. Quarè hanc Periodum *Fuſam*, non quadrimembrem appellabo.

Quoties igitur Periodus, vel intra quatuor Membrorum ambitum non continetur; vel ab allatis ſuperiùs regulis deflectit: tunc Periodus *Fuſa* appellatur, cujus frequens eſt uſus, & plurimùm ad Eloquentiam confert; eamque ſic placet definire:

Oratio

Oratio in longum protenſa, atque uno ſpiritu ducta, multos quidem ſenſus integros, & ſolutos complectens; qui tamen vel ad eamdem Perſonam, vel ad eamdem ſententiā referantur; ſicque aliquo unitatis vinculo inter ſe colligentur. Ita pro Arch. *Si quid eſt in me ingenii, Judices, quod ſentio, quàm ſit exiguum; aut ſi qua exercitatio dicendi, in quâ me non inficior mediocriter eſſe verſatum; aut ſi bujus rei ratio aliqua ab optimarum artium ſtudiis, & diſciplinâ profecta, a quâ ego nullum confiteor ætatis meæ tempus abborruiſſe: earum rerum omnium vel in primis bic Aulus Licinius fructum a me repetere prope ſuo jure debet.*

Aliud eſt periodi fuſæ genus, quæ definitur: *Oratio unam quidem perfectam ſententiam continens, ſed longiore verborum ambitu in longum producta; ita ut multas, ut loquuntur Dialectici, copulas implicationis includat, ſed uno ſenſu artificiosè colligatas.* Exemp. habes ex Tullio: *Et ſi enim omnis cognitio multis eſt obſtructa difficultatibus, eaque eſt, & in rebus ipſis obſcuritas, & in judiciis noſtris infirmitas, ut non ſinè causâ & doctiſſimi, & antiquiſſimi invenire ſe poſſe quod cuperent, diffiſi ſint: tamen nec illi defecerunt, neque nos ſtudium exquirendi defatigati relinquamus; Neque noſtræ diſputationes quidquam aliud agunt, niſi ut in utramque partem dicendo, & audiendo eliciant, & tanquam exprimant aliquid, quod aut verum ſit, aut ad id quàm proximè accedat.*

Si qua verò ſententia longior fortaſſe ſit, quàm naturalis vocis ſpiritus ferat: eam in tot Periodos dividere licebit, quot venuſto ambitu poterunt concludi.

Omnium pulcherrimam Periodum judicat Demetrius de Elocut., quæ quatuor paribus membris eo eſt artificio contexta, ut prima ultimis,

ultima

ultima primis præponi poſſint; quin ſenſus, numerus, & elegantia detrimentum patiatur.

Hæ vocantur Periodi *Rotundæ*, ſeu *Quadratæ*; quia quâcunque ex parte ſpectentur, ſemper ſunt ejuſdem virtutis. Cic. pro Sllâ: *Si mihi iraſceris, quòd eum defendo, quem accuſas; cur quoque tibi ipſe non ſuccenſeo, qui accuſas eum, quem ego defendo?*

Elegantiſſimæ ſunt etiam Periodi, in quibus Membra ſunt æqualia, aut pene æqualia. Id cum fit, *Compar* appellatur. Cic. pro leg. Manil. *Extremâ hyeme apparuit: ineunte vere ſuſcepit: mediâ æſtate confecit.*

Cavendum tamen eſt, ne puerilis appareat induſtria in enumerandâ hujuſmodi oratione; cum uſu potius, & exercitatione id fiat; ut animi quodam ſenſu par membrum membro reddatur.

Ex Periodis acriorem illæ reddunt Orationem, in quibus poſtremum Membrum cæteris brevius eſt. Quod ſi ornatui ſtudeamus: præferendæ erunt, quarum Membrum poſtremum longius eſt prioribus.

Periodis artificiosè elaboratis utendum præcipuè erit, ut docet Quinctil. in Exordiis, in locis Communibus, in Amplificationibus, atque in Epilogis. Non diu tamen eas adhibeamus; quin aliqua interferantur Commata, & Cola; hâc enim varietate faſtidium tolletur Audientibus; accedetque major Orationi decor, & elegantia.

De

De Quartâ Compoſitionis Parte, ſeu de Numero.

CAPUT VI.

QUamvis in numeroſâ conficiendâ Oratione nullæ ſint præceptiones, a quibus interdum recedendum, declinandumve non ſit; cum Numerus in Oratione nullam habeat regionem, cujus ſeptis valeat contineri, ſiſtatque potiùs in aurium accurato judicio, quàm in paucorum præceptorum anguſtiis; nihilo tamen minùs quia imbecillioris ætatis aures minùs prudentes ſunt, quàm rectum de conjunctorum verborum Euphonia judicium requirit: hinc eſt quod nonnullas hâc de re leges tradendas eſſe plurimi exiſtiment; non ut iſtæ arctiſſimâ ſemper Religione obſerventur; ſed ut Adoleſcentes jis ſuffulti, elegantiam, prout res tulerit, ſectentur; & politiores verborum numeros ament.

Numerum itaque definit Voſſius: (1.) *Conveniens ſententiæ ſonus ex partium Compoſitione naſcens;* qui ſonus in concinnitate quâdam Orationis conſiſtit: cum paria paribus, contraria contrariis reſpondent; quam Gorgias Leontinus inveniſſe dicitur; vel in Rythmo, quo pedes etiam in Oratione quodammodò notantur; quorum obſervandorum Princeps fuit Traſymacus Calcidonius, ut docet Cicero; quamquam idem in Bruto hujus Inventionis palmam Iſocrati tribuit.

Concinnitas fit tribus modis (2.)

Primò. *Cum paria paribus reſpondent.* Ut Cic. pro

(1.) *De part. Orat. l. 5. c. 2.*

(2.) *Major. Comm: in part. Orat.*

pro P. Sext. *qui authoritate, qui fide, qui conſtantiâ, qui magnitudine animi conſiliis Audacium reſtiterunt; ii graves, ii Principes, ii Duces, ii Auctores hujus dignitatis, atque Imperii ſemper habiti ſunt.*

Secundò. *Cum contraria contrariis opponuntur.* Ita in eâd. Orat. *Sed mihi omnis ratio eſt cum virtute, non cum deſidiâ: cum dignitate, non cum voluptate; cum iis, qui ſe Patriæ, qui ſuis Civibus, qui laudi, qui gloriæ, non qui ſomno, & conviviis, & delectationi natos arbitrantur.*

Tertiò. *Cum caſus ſunt in exitu ſimiles.* Ut in Piſ. *An Oppidorum turpis amiſſio? An ſociorum direptio? An agrorum depopulatio?* Quoties hæc tria in Oratione adhibentur, ſuâ ſponte numeroſa erit Oratio.

Rythmus ex Cic. eſt *modus quidam Orationis, qui e permixtis, & confuſis pedibus, & temporum, quibus conſtat, aptâ ratione noſcitur.*

Exemplo definitionem hanc illuſtrat Voſſius: *Nulla eſt tanta copia, quæ non ferro, ac viribus debilitari, frangique poſſit.* Quàm citò tollitur Membri hujus venuſtas, ſi Ordine inverſo dicas: *quæ non ferro, ac viribus poſſit debilitari, frangique.* Quarè ex variâ pedum collatione numerum naſci liquet, qui ſuaviter afficit aures, magiſque animos movet Auditorum. *Neque Demoſthenes* (3) ait Quinctil. *fulmina tantoperè vibraſſe dicetur; niſi numeris contorta fuiſſent.*

Nullus fermè pedum non in Orationem venit: Quocirca mirari, ſe inquit Quinctil., quod Ariſtoteles, Theophraſtus, Dyoniſius Halicarnaſſeus, aliique Viri doctiſſimi pedum alios eligant, alios damnent; qui tamen veriùs pedes alios aliis putant eſſe ſuaviores, aut magis ſonoros; quod eviden-

(3) *lib.* 9. *c.* 4.

denſiſſimâ patet experientiâ.

Cæterùm inanis videtur hæc cura pedum in Oratione dimetiendorum; ſatiſque eſt illud Voſſii præceptum animadvertere: pro rei nempe naturâ aliis, atque aliis uti pedibus. Ubi pondus exigitur; longæ uſurpandæ ſunt ſyllabæ; quia hæ graviorem reddunt Orationem. Ubi velocitas requiritur: conveniunt breves, quæ eam celerem reddunt. At rebus aſperis accommodatiores ſunt Jambi; non ſolùm quia duabus conſtant ſyllabis; ſed quia crebriorem quaſi pulſum habent: quæ res lenitati contraria eſt. Hinc in lenibus meliores ſunt Trochæi.

Non idem in quolibet cauſarum genere eſt Numerus. Demonſtrativum genus, quia delectabile, fuſiores habet numeros, liberioreſque. At parciùs eo utendum in Deliberativo, ſicut in Judiciali. Genus enim iſtud, ſicut materiâ varium eſt, ita & collocatione verborum; atque iraſci, aut dolere ob eum Judex non poteſt, quem putat vacare orationis Rythmo.

Sunt etiam ſua in numeroſâ oratione vitia.

Primò. Si Poetica ſit. Verſum enim Heroicum, aut alium ex notioribus Orationi admiſceri fædiſſimum eſt.

Secundò. Si ſit uniuſmodi ſemper, & continua. Namque in verſificando quidem una lex datur; at in oratione ſimilitudo tum ſatietatem, ac tædium parit: tum manifeſtâ affectatione fide ipsâ imminuitur.

Tertiò. Quæ maximè laborata ſunt, ſolvi interdum debebunt, ne laborata videantur; numeruſque lateat inter verborum, ſententiarumque figuras; ut dum Auditores elegantiam admirantur, de numero nihil cogitent; qui tamen ſi abeſſet: minùs ſententiæ delectarent.

De

De Dignitate,
Et Primùm de Tropis Generatim.

CAPUT VII.

SIcuti per elegantiam Orator ad genuinæ latinitatis normam dictionem ſuam caſtigando, a reliquâ vulgi turbâ eximitur; perque rectam verborum Compoſitionem, quid Auditorum aures requirant, quid reſpuant advertendo: artificioſam verborum ſtructuram aſſequitur; ita ornatu ea oratorio perficiens, quæ animo peperit, ac puro ſtylo explicare, conſtituit, Eloquentiæ proſpicit Dignitati, per quam Oratio mirificè, & delectare valeat, & prodeſſe. Hanc facilè laudem conciliabit color ille Rhetoricus, qui concipi mente poteſt: verbis exprimi, ſatis non poteſt; Figurarum nempe lumina, quæ opportunò ſale conſperſa, & aculeis referta, ſi ingenioſè adhibeantur, facient, ut oratio tædio non ſit; imò eadem variis diſtincta floribus, variis permixta affectibus, alia a ſe ipsâ videatur.

Dignitas itaque orationis conſiſtit, vel in varietate verborum, vel in varietate ſententiarum. Hæc varietas, ſi in verbis, vel ſententiis translatis habetur, dicitur Tropus; ſi in verbis, vel ſententiis propriis, vocatur Figura: quidquid alii aliter ſentiant, velintque nullum dari ſententiarum Tropum.

Tropus, qui *Mutatio* vel *Converſio* ſignificat, eſt (1.) *ſermo a naturali, & principali ſignificatione translatus ad aliam ornandæ orationis gratiâ*. Ex quâ definitione colligitur, duplicis eſſe Tropum ſpeciei, verbi ſcilicet, & ſermonis, ſeu ſententiæ.

Quam

(1.) *Quinctil. l. 9. c. 1.*

Quàm utilis ſit, & quàm decorus Troporũ uſus: videmus apud Tullium, qui in rebus magnis, & atrocibus tranſlatis attollitur nominibus; earumque magnitudinem verbis potiùs alienæ ſignificationis, quàm propriæ ſolet exprimere. Etiam Prophetarum ſcripta, quoniam de rebus gravioris ponderis diſſerunt, Tropis undique ſcatent, quibus magnarum rerum ſimilitudinibus, quæ ipſi maxima dicunt, amplificare, & ante oculos ponere ſolent. Talis eſt locus ille Iſajæ: *Egredietur virga de radice Jeſſe, & flos de radice ejus aſcendet*. *Virgæ* enim nomine *potentiam*, *floris verò*, *pulchritudinem* Salvatoris deſignavit.

Jam verò Tropi, qui in Verbi translatione conſiſtunt ſex numerantur: Metaphora, Synecdoche, Metonymia, Antonomaſia, Catachreſis, & Metalepſis.

De Metaphorâ.

CAPUT VIII.

METaphora eſt *nominis*, *aut verbi cum virtute translatio*, transferendo ſcilicet, inquit Quinctil., (*1*.) nomen, aut verbum ex eo loco, in quo proprium, in eum, in quo aut proprium deeſt, aut translatum proprio melius eſt; aut quia ſignificantius eſt, aut quia decentius. Ubi nihil horum præſtat Metaphora impropria eſt.

Ex quo patet, Metaphoræ triplicem eſſe cauſam a Quinctil. aſſignatam, nempe *Neceſſitatem*, *Expreſſionem*, *& Delectationem*.

Neceſſitas ruſticum cogit ad Metaphoram confugere; ut id ſignificet, quod eſt in vite *gemmare*,

(*1*.) *lib*: 8. *c*. 6.

re, *luxuriari* in herbâ, *ſitire* in ſegete, in floribus *languere*; cum propriam vocem non habeat. Ita hominem *durum*, *aſperum*, aut *mollem* dicimus; non enim proprium eſt, quod demus his affectibus, nomen. Ita Cic: de finibus: *Homo aſper, & durus oratione, & moribus.*

Huc quoque pertinet, cum translatum rem facit clariorem, aut decentiorem; ideòque meliùs eſt proprio. Terent: Eunuch: *Ejiciunda hercle hæc mollities animi eſt.* Et Ovid. de Ponto.

Artibus ingenuis, quarum tibi maxima cura eſt,
Pectora molleſcunt, aſperitaſque fugit.

Cum translatum ſignificantius eſt; eo elegantiſſimè utimur, v. g. cum dicimus: *Incenſum hominem irâ, inflammatum cupiditate, lapſum errore*: Sic Cic: pro Rab: *Satis eſt homines imprudentiâ lapſos non erigere; urgere verò jacentes, certè eſt inhumanum.* Et Claud. in Ruf.

Sæpe mihi dubiam traxit ſententiam mentem
Curarent ſuperi terras; an nullus ineſſet
Rector; & incerto fluerent mortalia caſu.

Delectatio principem habet locum in translationibus. Ornatus enim causâ dicimus: *lumen Orationis*: *Generis claritatem*: *infortuniorum procellas.* Cic. pro Planc. *Qui hâc populi tempeſtate jactamur, & fluctibus.* Et Virg. Eneid. 5.

Eurialus formâ inſignis, viridique juventâ.

De

De præcipuis Metaphoræ Capitibus, & Vitiis.

CAPUT IX.

QUatuor Metaphoræ capita aſſignat Quinctil. ex quibus cum virtute deſumi poſſunt tranſlationes.

Ab animato ad animatum.
Ab inanimato ad inanimatum.
Ab animato ad inanimatum.
Ab inanimato ad animatum.

Ab animato itaque ad animatum fit in primis Tranſlatio; cum proprium alicujus animalis transfertur ad aliud animal; ut ſi dixeris, Convitiatorem *latrare*: quod proprium de canibus eſt. Sic Cic. *Latrant enim jam quidem Oratores, non loquuntur*. Et Mart.

Si vitare velis acerba quædam,
Et triſtes animi cavere morſus:
Nulli te facias nimis ſodalem.

Ab inanimato ad aliud inanimatum. Ita frequentia in oratione ſunt: *aurei* mores, lacrymarum *imber*, *lumen* veritatis. Cic. pro Mil. *Quid enim odiſſet Clodium Milo ſegetem, & materiam ſuæ gloriæ*. Et Virg. Georg. 2.

Nec galeis, denſiſque Virûm ſeges horruit haſtis.

A re animatâ ad inanimem: cum ſcilicet rebus ſenſu carentibus vitam, & ſpiritum damus. Ita frequentiſſimè Tullius; *mutum* forum, *elinguem* Curiam appellat. *Lenire, exaſperare, mederi vulnera* Reip. ſæpiùs invenies. Cic. pro Lig. *Quid tuus ille, Tubero, diſtrictus in acie pharſalicâ gladius agebat? Cujus latus ille mucro petebat? Qui ſenſus erat armorum tuorum?* Virg. Æneid. 3.

Heu fuge crudeles terras: fuge litus avarum.

Ab inanimato ad rem animatam: cum rebus animatis ea tribuimus, quæ ſunt inanimatis propria. Sic de Chriſti Diſcipulis habemus: *Vos eſtis lux Mundi: Chriſti bonus odor &c.* Cic. ad Attic. res *ſunt ad Interregnum; & eſt nonnullus odor Dictatoris.*

Mart. lib. 9. ep. 76.

Rumpitur invidiâ quidam, Cariſſime Juli:
Quòd me Roma legit, rumpitur invidiâ.

Alia etiam Metaphoræ capita aſſignant alii Eloquentiæ Præceptores, nempe *ab Igne, ab Aere, ab Aquâ, a Senſibus, ab Artibus &c.* Sed cum omnia reducantur ad prædicta quatuor capita: inane eſt, de iis prolixiùs diſſerere.

Aliquando apud Scriptores duplicatam Metaphoram invenies: ut apud Virg. Æneid. 9. *Ferrumque armare veneno*: neque enim ferrum armari dicimus, neque armari veneno. Cavendum tamen, ne id fiat liberiùs, quàm par eſt; facilè enim in vitium tranſibit.

In translatione ſeptem præcipuè vitia vitanda recenſet Majoraggius. (1.)

1. Ne penitus diſſimilis ſit. Itaque Cic. damnat Ennianum illud: *Cœli ingentes fornices.* Quia *fornices*, nec magni ſunt; nec totum complent circulum; cum a rectis lateribus conſurgere ſoleant.

2. Ne longè nimis petita: ut *Syrtim patrimonii, Charibdim bonorum*; cum potiùs dicerem pro primo *ſcopulum*, pro altero *voraginem*; quia ſenſus faciliùs feruntur ad ea, quæ viſu, quàm quæ auditu perceperunt.

3. Ne ſit ab obſcænâ re, vel turpi deducta: talis eſt illa, quam ex veteri Oratore adducit Fabius: *perſecuiſti Reip. vomicas.*

4. Ne

(1.) *Comment. in part. Orat.*

4. Ne ſit major, quàm res poſtulat: ut ſi Puer dicatur *ferreus* in ſtudiis; non enim huic id convenit ætati; licèt ætate provectum rectè dixeris *inteſtina habentem ærea*; quod de Didymo Grammatico olim dictum fuit.

5. Ne re ſignificatâ ſit minor: ut *ſaxea Verruca*, *proditionis ſcintilla &c.*

6. Ne ſit dura nimis: ita Horatius arguit quemdam; cum ſcripſerit:

Jupiter hybernas canâ nive conſpuit alpes.

7. Ne ſit tantùm poetica; Poetis enim datur quidlibet audendi licentia: quod Oratores prohibentur.

Admonet Callipius Poliphraſtus (a.) Eloquentiæ Tyrones; ut qui volet, in dicendo eſſe copioſus, ex optimis Auctoribus maximam inſignium tranſlationum vim adnotatam comparet; & ad eamdem rem complures adhibeat ſimilitudines. Sunt autem apud M. Tullium optimæ: apud Quinctil. plurimæ; ſed in his vix alius felicior, quàm Plutarchus. Ex adagiis item non pauca colligi poterunt; propterea quod pleraque aut allegoriam habent, aut aliquam Metaphoræ ſpeciem.

De Synecdoche.

CAPUT X.

Synecdoche, quæ a quibuſdam *Comprehenſio*, a nonnullis *Intellectio* dicitur: fit, *quoties aliud ex alio intelligimus*. Latiſſimè patet hic Tropus; ſed capita præcipua, in quæ alia non erit difficilè transferre, ſunt octo.

1. Cum pars pro toto ponitur: ut *Puppis*, vel Ca-

(a.) *De Verb. copiâ.*

Carina pro navi. Cic. in Catil. *Vos in veſtra tecta diſcedite*. Virg. Æneid. 2.

Non anni domuere decem, non mille carinæ.

2. Cum totum uſurpatur pro aliquâ parte: ut *Sylva* pro ligno &c. Cic. Epiſt. lib. 4. *Rem vides, quomodò ſe habeat: Orbem terrarum, diſtributis Imperiis, ardere bello*. Ubi *Orbem terrarum* pro Imperio Rom. ponit. Virg. Ecgl. 1.

Aut Ararim Parthus bibet, aut Germania Tigrim.

3. Cum genus pro Specie; aut magis univerſale loco minùs univerſalis. Sic *quadrupes* pro Equo, *ales* pro Aquilâ. Cic. in Piſ. *Cum omnes boni abditi inclusivè mererent, tecta ipſa lugerent, complexus est illud funeſtum animal ex nefariis ſtupris, & civil. cruore &c. concretum*. Ubi *animal* pro Clodio. Mart. lib. 7. *Aſſiduam nimio pectore pavit avem*: Ideſt Aquilam.

4. Cum Species pro Genere; ut *Eurus*, vel *Aquilo* pro quovis vento. Cic. in Catil. 1. *Etenim ſi ſummi Viri complurium ſanguine non modò ſe non contaminârunt, ſed etiam honeſtârunt: certè timendum mihi non erat; ne quid, hoc Parricidâ Civium interfecto, invidiæ mihi in Poſteritatem redundaret*. Ubi *Parricidam* pro interfectore ponit.

Et Virg. Æn. 1.

. . . . Heus, inquit, Juvenes monſtrate, mearū
Vidiſtis ſiquam hic errantem fortè ſororem
Succintā pharetrâ, & maculoſæ tegmina Lyncis,
Aut ſpumantis Apri.

Ubi ferinâ pelle indutam Sororem intellexit Poeta.

5. Cum ex materiâ rem totam concipimus; ut, *pinum*, vel *abietem* pro navi &c. Cic. pro Cæcina. *Homines inſtructi, & certis locis cum ferro collocati*. Virg. Æneid. 1.

. . . . frugeſque receptas
Et torrere parant flammis, & frangere ſaxo:

ideſt molâ.

6.

6. Cum numerum pro numero adhibemus. Ita ſæpè invenies apud Hiſtoricos, & Poetas ſingularem pro plurali. Tacit. Annal. lib. 3. *Turoni legionario milite, quem Viſellius Varro inferioris Germaniæ Legatus miſerat, oppreſſi*. Horat. lib. 3. Od. 6. *Fæcunda culpæ Sæcula*.

Pluralem pro ſingulari haud rarò uſurpat Cic. Sic. pro Arch. *Nam quas res nos in Conſulatu noſtro vobiſcum ſimul pro ſalute hujus Urbis, atque Imperii, & pro vitâ Civium, proque universâ Rep. geſſimus*. Virg. Æn. 1.

. . . . inhumati venit imago
Conjugis, ora modis attollens pallida miris;
Crudeles aras, trajectaque pectora ferro
Nudavit.

Denique certus numerus pro incerto, rotundus pro majori, vel minori paſſim apud Scriptores habetur. Sic apud Cic. ad Att. *Mori millies præſtitit, quàm hoc pati*. Et apud Virg. Geor. 2.

Non mihi ſi linguæ centum ſint, oraque centum;

7. Cum antecedens uſurpatur pro conſequenti. Senec. in Troj. *Bis pulſata Dardana Grajo mœnia ferro*: ideſt bis everſa Troja.

Huc refertur cum *audire*, vel *auſcultare* accipitur pro obtemperare. Terent. And. Act. 1. Sc. 3. *Amphilonnè adjutem, aut auſcultem Seni?* Ita *ſubſcribere* pro aſſentiri. Ovid. triſt. 1. Eleg. 11.

Neve, precor, magni ſubſcribite Cæſaris iræ.

& hujus generis eſt illud etiam Virgil. Ecgl. 9. *Lupi Mœrim videre priores*: hoc eſt obmutuit, ut ſolere feruntur, qui Lupum priores viderunt.

8. cum loco antecedentis ponitur conſequens: Cic. pro leg. Man. *Quid ad nos cum ab exteris Nationibus venirent, captos querar; cum Legati Populi Rom. re-*

dempti ſint? Nam ex eo quod redempti ſint, captos fuiſſe intelligitur. Virg. Geor. 3.

. . . . . . nec funera vulgo
Tam multa informes Urſi, ſtragemque dedere
Per ſylvas.

Ubi *funera* ſcilicet mortem intelligit.

De Metonymiâ.

CAPUT XI.

Metonymia, ſeu potiùs *Hypallages*, eſt *nominis pro nomine poſitio*. Tropus iſte latinè dicitur *denominatio*, ſive *Tranſnominatio*; quia a propinquis & finitimis rebus trahit vocem ad rem ſignificandam proprio vocabulo non appellatam, jamque ſex modis fit.

1. Cum ponitur Cauſa pro effectu. Sic in Sacris Bibliis reperitur, *Iram Domini portabo*, ideſt pœnam, quæ ab irâ proficiſcitur. *Peccata populi mei comedent*, ſcilicet hoſtias pro delictis oblatas.

Eadem ratione ponitur Inventor pro re inventâ; hinc dicimus *vario Marte pugnatum*. Virg. Æneid. 2.

. . . . . . Onerantque caniſtris
Dona laboratæ Cereris.

Auctor etiam ponitur pro ſuo opere. Martial. lib. 14. Epig. 18.

Pellibus exiguis arctatur Livius ingens,
Quem mea vix totum Bibliotheca capit.

2. Cum effectus pro causâ; ut cùm dicimus *expalluit* pro extimuit; nam pallor eſt effectus timoris. Horat. lib. 3. Epiſt. 3.

Pindarici fontis qui non expalluit hauſtus.

Huc

Huc pertinet, cum effectus rei efficienti accommodatur: ut ſi proferas *pigram* hyemem, *triſtem* ſenectam; quoniam hyems pigritiæ, ſenecta triſtitiæ ſunt cauſa. Hor. lib. 1. Od. 4.

Pallida mors æquo pulſat pede
Pauperum tabernas, Regumque turres.

Et virg. Æneid. 6.

Luctus, & ultrices poſuere cubilia curæ;
Pallenteſque habitant morbi, triſtiſque ſenectus,
Et metus, & maleſuada fames, & turpis egeſtas.

3. Continens pro re contentâ. Ita ſæpiùs audies: *italiam* pro Italis: *ſpumantem pateram* pro vino. Cic. de Orat. *ut omittam illas omnium diſciplinarum inventrices Athenas*, pro Athenienſibus. Catul. Voluſii annales vocat plenos *ruris* & *inficetiarum*, hoc eſt ruſticitatis. Simile eſt, ſi tempus ponatur pro re, quæ in tempore eſt; ita Cic. Phil. 9. *Hujus ſæculi inſolentiam* dixit, pro hominum hujus ſæculi. Et Virg. Æneid. 4. *oculiſve, aut pectore noctem accipit*: ſcilicet ſomnum, qui noctu capitur.

Poetæ interdum id, quod continetur pro eo, quod continet, uſurpant.

Hinc Virg. Georg. 1.

Illa ſeges demum votis reſpondet avari
Agricolæ, bis quæ Solem, quæ frigora ſenſit.

Plinius quoque dixit *Segetes, quæ interquievere*. Et Cic. de Orat. inquit: *Segetes fæcundæ herbas effundunt inimiciſſimas frugibus*. Sed id rarò ab Oratoribus audendum.

1. Poſſeſſor pro re poſſeſſâ; ut cum Svetonius ait *Claudium venalem pependiſſe*: hoc eſt prædia ejus pendente titulo, ac libello proſcripta. Virg. 2. Æneid. *Proximus ardet Ucalegon*, ideſt domus Ucalegontis.

Hujus eſt generis, cum *Dux ponitur pro exercitu*. Liv. lib. 39. *Omnes Emilius ſubegit; armaque ademit*. Ita cum *Advocatus* vel *Patronus* pro Cliente. Cic. pro Cæcin. *Reſtituiſſe te dixit. Nego me edicto Prætoris reſtitutum eſſe. Me*, hoc eſt Clientem meum.

Pariter cum objectum ſumitur pro eo, circa quod verſatur objectum.

Ut apud Virg. Ecgl. 1.

Formoſam reſonare doces Amaryllida ſylvas.

hoc eſt carmen de Amaryllide.

5. *Signum pro re ſignatâ, ut toga* pro pace, *faſces* pro Magiſtratu. Plin. *ut dubium ſit togâ nè, an bello præſtantior fuerit*. Virg. Georg. 2.

Illum non populi faſces, non purpura Regum
Flexit.

6. Metonymiæ modus denique eſt *Adjunctum* ponere pro ſubjecto. Virgil. Ecgl. 8.

Necte tribus nodis ternos Amarylli colores.

Terni colores pro ternis liciis triplicis coloris. Et Ænеid. 1. *ſtratoque ſuper diſcumbitur oſtro*: hoc eſt ſtragulis oſtri colore tinctis.

Obſervandum tamen eſt hujus Tropi licentiam Poetis convenire frequentiùs, quàm Oratoribus, quibus minor in translatis concedi ſolet libertas. Itaque alios Metonymiæ modos omittimus, utpotè nimis ab Oratoriâ alienos.

De Antonomaſiâ.

CAPUT IV.

Antonomaſia, latinè *ſignificatio*, eſt, *cum loco nominis proprii aliud id indicans ponitur*. Ut ſi dicas

ſi dicas *Oratorem* pro Tullio, *Hiſtoricum* pro Livio, *Satyricum* pro Juvenale.

Quinque potiſſimùm ſunt modi hujus Tropi eruendi.

1. Per *Patronymicum*: ut *Saturnius* pro Jove. *Priamides* pro Hectore: *Pelides* pro Achille.

Horat. lib. 1. Epiſt. 2.

> . . . . *Neſtor componere lites,*
> *Inter Pelidem feſtinat, & inter Atridem:*

2. Nomine *Gentili*; ut *Cytherea* pro Venere: *Arpinas* pro Cicerone. Virg. Æneid. 1.

> *At Cytherea novas artes, nova pectore verſat*
> *Conſilia.*

3. Per *Epitheton*. Ita apud Virg. Æneid. 4.

> *Thalamo quæ fixa reliquit*
> *Impius* . . . . Ideſt Æneas.

4. Nomine *ſtudii*, ut *Philoſophus* pro Ariſtotele, *Orator* pro Demoſtene, Cicerone &c. ſic Ovid. faſt. lib. 6. vocat Heſiodum Præceptorem arandi; quia primus præcepta tradidit Agriculturæ.

5. *Periphraſi reciprocâ*. *Ut Trojani belli Scriptor* pro Homero. Sic Virg. lib. 1. Æneid. ut Junonem per periphraſim antonomaſticam innuat, inquit.

> *Aſt ego, quæ Divûm incedo Regina, Joviſque*
> *Et Soror, & Conjux.*

Sæpè etiã loco appellativi nominis *Proprium* uſurpamus. Ita *Catonem* pro Sapiente, *Phalaridem* prò crudeli, *Irum* pro pauperrimo Viro; *Craſum* prò divite utplurimùm legimus. Ovid. triſt. Eleg. 5.

> *Irus & eſt ſubitò, qui modò Craſus erat.*

Circa Antonomaſiam hæc præcipuè adimadvertant Juvenes. Primò ne denominatio fiat à re, ſeu Perſonâ nimis ignotâ. Deinde ne ab Oratoribus æquè ac Poetis adhibeatur; cum prorſus proſcri-

ben-

benda in Oratione ſit denominatio a Parentibus, a nominibus poſſeſſivis; reliquis autem liceat uti, non utique abuti.

De Catachreſi, Metalepſi, & Onomatopæjâ.

CAPUT XIII.

Catachreſis latinè *Abuſio nominis* (1.) *fit, cum rebus nomine deſtitutis illud, quod in proximo eſt, accommodatur*. Sic montium infimam extremitatem *pedem* dicimus; illorumque cacumen *caput* vocamus. Ita *Equum* appellare cogimur, qui arte confectus eſt, a vero equo translatâ voce.

Virg. Æneid. 2.

Inſtar montis Equum divinâ Palladis arte
Ædificant.

Cicero de Oratore (2.) admittit Catachreſim vel *neceſſitatis*, vel *delectationis* causâ, cum dicit: *abutimur verbis propinquis, ſi opus eſt; vel quòd delectat, vel decet*.

Neceſſitatis causâ eſt V. g. cum dicimus *Pixidem auream vel argenteã*; licet pixis propriè ſit è buxo; ut Ethimologia indicat. Virgil. Æneid. 4.

Cæcique in nubibus ignes
Terrificant animos, & inania murmura miſcent.

Id Catachreſis genus Oratoribus etiam eſt conceſſum; & Tullius (3.) docet, quod ab jiſdem adhiberi etiam alterum genus poſſit, cum inquit: *abutimur ſæpè etiam verbo non tam eleganter, quàm in transferendo, ſed etiam licentius; tamen interdum non impudenter*; ut cum *grandem* Orationem pro magnâ: *minutum* animum pro parvo dicimus. Poetis

(1.) *Petr. Moſ. de Schom.* (2.) *lib.* 1.
(3.) *lib.* 1. *de Orat.*

tis verò major audendi facultas eſt. Ita Hor. lib. 4. Od. 4. dixit. *Vel Eurus*.

Per ſiculas equitavit undas.

quæ, ut rectè Muretus (4.) obſervat, audax planè translatio eſt; neque unquam id auſurus fuerat Poeta ſine Euripidis fortaſſe exemplo.

Metalepſis latinè *Tranſumptio*, hoc eſt Tropus multiplex in voce unâ, fit (5.) *cum gradatim ex unâ ſignificatione procedimus in alienam*; ut apud Virg. lib. 1. Æneid. *Spumas ſalis ære ruebant*. Ideſt ſpumans mare roſtris navium ære armatis ſecabant. Item Ecgl. 1.

Poſt aliquot mea Regna videns mirabor ariſtas.

uti per *ariſtas* ſegetes, per *ſegetes* æſtates, per *æſtates* anni ſignificantur.

Hujuſmodi autem Tropus cum ſit obſcurior, & intellectu difficilior: ita Poetis magis, quàm Oratoribus eſt accommodatus.

Onomatopæja latinè *nominatio*, *eſt fictio nominis*, *vel vocis*, *quæ ſit rei explicandæ ſimillima*. Hæc Græcis inter maximas habita virtutes, vix nobis teſte Quinct. (6.) permittitur; ideòque eam inter Tropos enumerare, auſi non fuimus; cum præcipuè in nullâ Verbi translatione conſiſtat. Quia tamen ad intelligendas aliquas veterum Scriptorum voces, præſertim Comicorum conducere poteſt: prætermittendam omnino non duximus.

Fluit autem *Onomatopæja* potiſſimùm *ab Animalium vocibus*. Sic fictis nominibus dicimus *coaxare*, *mugire*, *balare*. Virg. Æneid. 4. *Mugire videbis ſub pedibus terram*. *Et ex rerum inanimatarum colliſione*. *Sic tinnire*, *ſibilare*, *ſtridere*. Virg. 1. Æneid. *foribus cardo ſtridebat ahenis*. Ex ſacris itidem literis nonnul-

(4.) *lib. 1. var. obſer. c. 10.* (5.) *Bed. de Tropis*.
(6.) *lib. 8. c. 5.*

nonnulla eruuntur exēpla. Hinc in 1. ad Corinth. cap. 13. *Aut cymbalum tinniens* habetur.

Ludovicus Carbon. lib. 1. de elocut. cavet, ne quis in fingendis de novo vocibus majorem ſibi licentiam ſumat, quàm neceſſitas præbeat: rarusque ſit verborum novatorum uſus; imò meliùs ab oratione ſolutâ omnino eliminabitur.

De Tropis Sententiarum, Et primò de Allegoriâ.

CAPUT XIV.

Sententiarum Tropi quatuor ſolent numerari concordi meliorum Auctorum ſuffragio; ii que ſunt *Allegoria*, *Hyperbole*, *Periphraſis*, *Hyperbaton*.

Allegoria, ut Quinctiliano placet, eſt *continuata translatio, quæ aliud verbis, aliud ſenſu intelligit*. Pulcherrimus hic Tropus, & ad delectandum aptiſſimus, non tantùm fit verbis per Metaphoram translatis, ſed etiam ex aliorum frequentatione Troporum conflatur; adeò ut ab illis naturâ non differat, ſed magnitudine. Verùm quia Allegoriæ uſus frequentior eſt in translationibus metaphoricis: ita plurima hujus generis exempla afferemus. Cic. ad Att. lib 2. Epiſt. 7. *Cum cogar exire de navi non abjectis, ſed ereptis gubernaculis: cupio iſtorum naufragia de terrâ intueri*.

Virg. Ecgl. 3.

Claudite jam rivos Pueri: ſat prata biberunt.

Dividi autem ſolet Allegoria in *Puram*, & *Mixtam*. *Pura* ea eſt, quæ ex ſolis verbis translatis conficitur. Hujuſmodi eſt illa Cicer. ad Q. Cornif. lib. 12. ubi de libertate Rom. Reip. *Quamobrem mi Quincte, conſcende nobiſcum, & quidem ad*

puppim;

puppim. Una navis eſt jam bonorum omnium, quam quidem nos damus operam, ut rectam teneamus; utinam proſpero curſu. Sed quicunque venti erunt: ars noſtra certè non deerit. Præ omnibus tamen celeberrima eſt Horatii Allegoria lib. 1. Od. 14. ad M. Brutum, quæ incipit.

O navis referent in mare te novi
Fluctus. Oh quid agis? fortiter occupa
Portum. Nonne vides, ut
Nudum remigio latus;
Et malus celeri ſaucius Africo,
Antennæque gemant. &c.

Ubi Horatius *navim* pro Rep. *fluctus* pro civili bello, *portum* pro pace, *remigium* pro militibus, *malum* pro Ducibus elegantiſſimè uſurpat. Apud Jo: etiam habes nudam Allegoriam c. 4. *Levate oculos veſtros, & videte regiones, quia albæ ſunt jam ad meſſem.* Ideſt intelligite, quia populi jam parati ſunt ad credendum.

Allegoria mixta dicitur ea, quæ pluribus verbis translatis propria etiam admiſcet; & hæc frequentiùs uſurpatur; utpotè quæ claritatem, & gratiam addat Orationi. Sic Cic. pro M. Cælio: *Quoniam emerſiſſe jam è vadis, & ſcopulos prætervecta videtur Oratio mea: perfacilis mihi reliquus curſus oſtenditur.* Eximium habes exemplum apud Luc. de Virg. ad Piſon.

Ipſa per Auſonias Æneja carmina Gentes
Qui ſonat, ingenti qui nomine pulſat Olympum,
Mæoniumque Senem romano provocat ore,
Forſitam illius nemoris latuiſſet in umbrâ,
Quod canit, & ſterili tantùm cantaſſet avenâ
Ignotus populis, ſi Mæcenate careret.

In Allegoriis obſervandum præcipuè eſt, ne temerè alio in genere rerum, quàm cæperimus, deſinamus. *Multi enim*, inquit Fabius, *cum initium a*

tem-

tempeſtate ſumpſerint : incendio , aut ruinâ finiunt ; *quæ eſt fœdiſſima rerum inconſequentia.*

Cavendum pariter, ne his immoderatè utamur; vel ne illis inſit obſcuritas, quâ ſermo tranſeat in ænigma; ut illud Virgil. Ecgl. 2.

Dic quibus in terris, & eris mihi magnus Apollo,
Tres pateat Cæli ſpatium non ampliùs ulnas.

Ubi vel de puteo profundiſſimo intelligi poteſt; vel de ſepulcro Cælii Mantuani, qui, omnibus conſumptis, tantummodò ſibi ſpatium telluris reſervârat, quod ſuo ſufficeret ſepulcro.

De Hyperbole.

CAPUT XV.

Hyperbole eſt (1.) *augendi, minuendive cauſâ veritatis ſuperlatio, atque trajectio.* Non fallere, neque mentiri intendit Hyperbole; ſed ad rei magnitudinem explicandam ſummum dicit, ut æquum intelligatur.

Quinctilianus (2.) plures tum augendi, tum minuendi modos per Hyperbolem enumerat.

1. Cum plus, vel minùs facto dicitur. Exempl. primi generis habes in 2. Philip. *Vomens fruſtis eſculentis gremium ſuum, totum tribunal implevit.* Et 1. Æneid. *Geminique minantur in Cœlum ſcopuli.* Exempl. ſecundi generis leges apud Cic. in Rul. *Sullanus ager a certis hominibus latiſſimè continuatus, tantam habet invidiam, ut veri ac fortis Tribuni plebis ſtridorem unum perferre non poſſit.*

Et 7. Æneid. de Camillâ Virgine.

Illa vel intactæ ſegetis per ſumma volaret

Gra-

(1.) Cic. 3. *de Orat. c.* 53.
(2.) *lib.* 8. *c.* 6.

Gramina, nec teneras curſu læſiſſet ariſtas;
Vel mare per medium fluctu ſuſpenſa tumenti
Ferret iter; celeres nec tingeret æquore plantas.

2. Cum res per ſimilitudines attollimus, vel minuimus. Res attollit Virg. Æneid. 10.

Ardet apex capiti, triſtiſque in vertice flamma
Funditur, & vaſtos umbo vomit aureus ignes;
Non ſecus ac liquidâ ſi quando nocte Cometæ
Sanguinei lugubre rubent, aut Syrius ardor.

Res minuit idem Ecgl. 7.

Imò ego ſardois videar tibi amarior herbis,
Horridior ruſco, projectâ vilior algâ.

3. Cum comparatione augendæ, vel minuendæ rei gratiâ utimur. Cic. pro leg. Manil. *Sæpiùs cum hoſte conflixit, quàm quiſquam cum inimico concertavit; plura bella geſſit, quàm cæteri legerunt, plures Provincias confecit, quàm alii concupierunt.* Mart. lib. 11. Epig. 17. per comparationem hyperbolicam rus diminuit.

Donaſti, Lupe, rus in Urbe nobis;
Sed rus eſt mihi majus in feneſtrâ.
Rus hoc dicere, rus hoc potes vocare?
In quo ruta facit nemus Dianæ;
Argutæ tegit ala quod cicadæ;
Quod formica die comedit uno;
Clauſæ cui folium roſæ corona eſt, &c.

Creſcit interdū Hyperbole aliâ ſuperadditâ. Hujus exempl. habes in Tull Verr. 7. *Verſabatur in Siciliâ longo intervallo, non Dyoniſius ille, nec Phalaris (tulit enim illa quondam Inſula multos, & crudeles Tyrannos) ſed novum quoddam monſtrum ex vetere illâ immanitate, quæ in iiſdem verſata locis dicitur. Non enim Charybdim tam infeſtam, neque Scyllam navibus, quàm iſtum in eodem freto fuiſſe arbitror. Hoc etiam iſte infeſtior &c.* Leguntur & in Sacris literis tam minuendi, quàm augendi Hyperboles. Ita Gen. 22.

Mul-

Multiplicabo ſemen tuum ſicut ſtellas Cœli, & velut arenam, quæ eſt in litore maris. Quæ ad expreſſionem dicta ſunt, non ad deceptionem.

Cavendum tamen primò, quod ſi nimis audax videatur Hyperbole: mollienda erit præpoſito aliquo verbo, aut veniâ petitâ. Sic Cic. 2. Philip. *Quæ Carybdis tam vorax? Charybdim dico? Oceanus medius ſidius vix videtur tot res tam diſſipatas, tamque diſtantibus in locis poſitas tam citò abſorbere potuiſſe*. Ubi particula *vix* grandem animi hyperbolem moderatur.

4. Quamvis omnis Hyperbole ſit ultra fidem, non tamen debet eſſe ultra modum, ut qui de Cyclope illo dixit: *tantam eum montis partem in Ulyſſis navim intorſiſſe, ut capræ paſcerentur, dum jaceretur*.

De Periphraſi, & Hyperbaton.

CAPUT XVI.

PEriphraſis, latinè *circuitus*, *eſt Oratio rem ſimplicem aſſumptam elocutione circumſcribens*. Tribus præcipuè modis hic Tropus adhibetur. *Ethimologiâ*, *Notatione*, *Definitione*.

Ethimologiâ, cum nominis rationem explicamus; ut ſi quis pro Paraſito, *hominem cibo, ventrique deditum* dicat.

Notatione, cum *notis quibuſdam accidentium rem quampiam deſcribimus*. Hujus generis eſt illud: *qui digito ſcalpunt uno caput*; ut molles, & effæminati viri deſcribantur.

Definitione; ut ſi dicatur: *ars bene dicendi* pro Rhetoricâ.

Soſipater cap. 4. duplici ex capite frequentari Periphraſim docet; aut *ut brevitatem ſplendidè producat*, aut *ut fœditatem circuitu devitet*; Neceſſitatis ſcilicet, aut Ornatûs causâ.

Porrò

Porro ſicuti Periphraſis, ſi ſuo adhibeatur loco, elegantiam, & eruditionem affert orationi: ita ſi perperam confundatur, *in Pleonaſmi, ac Macrologiæ* vitium facillimè vergit.

Pleonaſmus (1.) eſt *Orationis vitium, quo aliquod verbum adjicitur ſupervacaneè*; quod excuſetur, cum aſſeverationis gratiâ fit: V. g. *Ipſe meis oculis vidi: Sic ore locuta eſt.*

Macrologia (2.) eſt *ſermo juſto longior*; quale eſt illud: *Legati, non impetratâ pace, retrò domum, unde venerant, reverſi ſunt.*

Advertendum eſt hujus Tropi uſum frequentiſſimè eſſe apud Poetas: Oratoribus verò nonniſi moderatè concedendum; ne in vitia huic finitima incidant.

Hyperbaton latinè *Tranſgreſſio*, (3.) fit, *quoties verborum ordo perturbatur; ut Italiam contra; Maria omnia circum*. Virgil. Æneid. 5.

> *Ædibus in mediis, nudoque ſub ætheris axe:*
> *Tranſtra per, & remos.*

Ordo enim poſtulabat, ut diceretur: *in mediis ædibus: Sub axe: Per tranſtra*. Ita Cic. pro Cluent. *ſemper magno cum metu dicere incipio*. Ideſt *cum magno metu*. Item *mecum, ſecum, quocum*.

Hermogenes teſtatur Hyperbaton contrarium eſſe puritati Orationis; quod utique contingit, ſi perperam adhibeatur, & incautè.

E De

(1.) *Dyon. Long.* (2.) *Alex. Sophiſta.*
(3.) *Ad Heren. lib.* 4.

De Figuris Generatim.

CAPUT. XVII.

Figura, quam Græci *Schemma*, Latini *Exornationem* vocant, (1) eſt *conformatio quædam Orationis remota a communi, & primùm ſe offerente ratione.*

Schemmatis, & Figuræ voces (2.) cum propriè dicantur de Hiſtrionum amictu, & geſtibus, è theatris traductæ videntur in Scholas Rhetorum. Nam ut illi Hiſtriones, ſive Actores Scenici, pro Perſonarum, & affectuum varietate, varios induebant habitus, varioſque agebant geſtus: ita & Oratio, pro rerum, de quibus agitur, diverſitate, ſchemmatibus diverſis, tanquam colorato amictu veſtitur; ac quaſi geſtibus diverſis animatur.

Figurarum genus quoddam ad Grammaticos pertinet: quoddam eſt Oratoris proprium. De primo agunt Grammatici. Nos, ſicuti Oratorium negotium ſuſcepimus: Oratorium figurarum genus explicabimus.

Schemmata Orationis duplicia ſunt: Verborum alia, alia ſententiarum. Inter ea hoc intereſt; quod ſchemmata verborum tollantur, ſi aut verba mutentur, aut ordo eorum invertatur: At Schemmata ſententiarum, quibuſcunque utaris verbis, aut quocunque ea ordine ponantur, permaneant. V. g. *Nunc verò quid agat, quid moliatur, quid denique quotidiè cogitet, quem ignorare noſtrum putet?* Si verba mutentur, *Repetitio* perit: *Interrogatio* remanet; quia ſenſus non immutatur.

Figuræ faſtidium, ac nauſeam quotidiani, ſemperque

(1.) *Quinct. lib.* 9. *c.* 1. (2.) *Voſſ. lib.* 4. *c.* 11.

perque eodem modo contenti ſermonis levant: Oratorem a vulgari dicendi genere amovent; & Auditorem in ſe convertunt, neque languere patiuntur. Hinc Cic. in Orat. inquit: *Quia frequentiſſimè figuris utitur Demoſthenes: ſunt, qui putent, idcirco ejus Eloquentiam maximè eſſe laudabilem.*

Licèt plurimi ſint, qui malint a Figuris, quæ in ſententiâ ſunt, incipere; cum priùs aliquid mente concipiatur, quàm enuncietur: Nos tamen trito apud homines axiomati ſubſcribentes, a facilioribus nempe, & ſimplicioribus inchoandum: de Figuris in Verbo poſitis primùm agemus; eaſque in quatuor claſſes diſtributas explicabimus.

Figuræ itaque Verborum fiunt. 1. Per *adjectionem*. 2. Per *detractionem*. 3. Per *ſimilitudinem*. 4. Per *contrarium*.

De Figuris Verborum, quæ fiunt per Adjectionem.

CAPUT XVIII.

Repetitio græcè *Anaphora fit* (1.) *cum continenter ab uno, atque eodem verbo in rebus ſimilibus, & diverſis principia ſumuntur*. Magnam hæc figura Orationi vim addit; præcipuè cum alterum inſectamur, vel etiam laudamus. In inſectando quidem exemplum eſt apud Cic. pro Quinct. *Quid hæc amentia? Quid hæc feſtinatio? Quid hæc immanitas tanta ſignificat?* In laudando verò apud Virg. Æn. 1.

Tu mihi quodcũque hoc regni, tu ſceptra, Iovemque
Concilias: tu das epulis accumbere Divûm.

Nec tantùm unum vocabulum, ſed plura etiam initio repetuntur. Ovid. 2. de Pont. Eleg. 2.

 Grande

(1.) *Ad Heren. lib. 4. c. 13.*

Grande voco meritum lacrymas, quibus ora rigabat;
Cum mea concreto ſicca dolore forent.
Grande voco meritum mæſtæ ſolatia mentis;
Cum pariter nobis illa, tibique daret.

Quod ſi res opponantur: eleganter duplicatur Anaphora. Cic. in exord. pro Roſc. Amer. *Accuſant ii, qui fortunas hujus invaſerunt. Cauſam dicit is, cui præter calamitatem nihil reliquerunt. Accuſant ii, quibus occidi Patrem Sex: Roſcii bono fuit. Cauſam dicit is, cui non modò luctum mors Patris attulit, verùm etiam egeſtatem. Accuſant ii, qui hunc ipſum jugulare ſummè cupierunt. Cauſam dicit is, qui etiam ad hoc ipſum judicium cum præſidio venit; ne hìc ibidem ante oculos veſtros trucidetur &c.* D. Paul. 2. ad Cor. 15. *Seminatur in corruptione: ſurget in incorruptione. Seminatur in ignobilitate: ſurget in gloriâ. Seminatur in infirmitate: ſurget in virtute. Seminatur corpus animale: ſurget corpus ſpiritale.*

Habet Repetitio plurimùm gravitatis, & acrimoniæ; ideòque ad amplificandam, & exornandam Orationem maximè confert. Eâ autem variatâ, variæ etiam exſurgunt figuræ.

Converſio, quam *Epiſtrophen* Græci vocant, eſt, (2.) *per quam non ut antè, primum repetimus verbum, ſed ad poſtremum continenter revertimur.* Cic. Philip. 2. *Doletis tres exercitus Pop. Rom. interfectos? Interfecit Antonius. Deſideratis Clariſſimos Cives? Eos eripuit vobis Antonius. Authoritas hujus Senatus afflicta eſt? afflixit Antonius.*

Neque id ſimplicibus tantùm verbis exequitur, ſed etiam conjunctis. Sic habemus illud ex Mart. lib. 2. Epig. 17.

Capto tuam; pudet heu! ſed capto, Maxime, cænā:
Tu

(2.) *Ad Heren. lib. 4. 13.*

Tu emptas alias. Jam ſumus ergo pares.
Manè ſalutatum venio: tu diceris iſſe
Ante ſalutatum. Jam ſumus ergo pares.
Sum comes ipſe tuus, tumidique Anteambulo Regis:
Tu comes alterius. Jam ſumus ergo pares.

Medianam repetitionem appellat Voſſius (3.) cum media mediis reſpondent; ut in Milonianâ: *Quæ in Senatu ſæpè ab inimicis, ab improbis ſæpè jactata ſunt*. Et Seneca in Thyeſt.

Quem dies vidit veniens ſuperbum,
Hunc dies vidit fugiens jacentem.

Complexio, ſeu *Conjunctio*, quam Græci *Symploſen* appellant, fit (4.) *Cum repetitur idem primum verbum ſæpiùs, & crebrò ad idem poſtremum revertimur*. Cic. pro Mil. *ſed quæſtiones urgent Milonem, quæ ſunt habitæ nunc in atrio libertatis. Quibuſnam de Servis, rogas? de P. Clodii. Quis eos poſtulavit? Appius. Quis produxit? Appius. Unde? ab Appio.* Horat. Ser. 1. Epiſt. 1.

Si curtatus inæquali tonſore capillus
Occurrit, rides: ſi fortè ſubucula pexæ
Trita ſubeſt tunicæ, vel ſi toga diſſidet impar,
Rides &c.

Hæc figura ad illudendum potiùs, quàm increpandum videtur apta; & quia frequenti ejus uſu ineptire poteſt Orator: aliis propterea figuris mitiganda eſt.

Conduplicatio eſt, (5.) *cum ratione amplificationis, aut commiſerationis ejuſdem unius, aut plurium verborum iteratio*. Sic Cic. Phil. 4. *Non eſt, non eſt vobis, Quirites, cum eo hoſte certamen, cum quo aliqua pacis poſſit eſſe conditio*. Sen. Med. *Adeſte, adeſte ſceleris*

(3.) *Part. Orat. lib. 4. c. 12.* (4). *Ad Heren. lib. 4. 14.*
(5.) *Ad Heren. lib. 4. 28.*

oris ultrices Deæ. Et Virg. Ecgl. 2.

O Corydon, Corydon quæ te dementia cepit?

Hoc vehementiſſimum Schemma, quod ad ſignificandam animi vim, remque demonſtrandam, aſſeverandamque plurimùm valet: Auditores commovet, & vulnus (inquit Auct. ad Heren.) majus efficit in contrario cauſæ, quaſi aliquod telum, iteratò feriens eamdem partem corporis.

Plures ſunt Conduplicationis ſpecies apud Rhetores, quæ omnes ad ornatum orationis conducunt; variiſque græcis nominibus appellantur.

1. *Epanalepſis*, & fit, *cum in idem verbum, a quo cæpit, deſinit Membrum, vel integra Periodus*. Cic. pro M. Marcel. *Vidimus tuam victoriam præliorum exitu terminatam: gladium vaginâ vacuum in Urbe non vidimus*. Pſal. 87. *Super me confirmatus eſt furor tuus, & omnes fluctus tuos induxiſti ſuper me*. Ovid. l. 2. faſt.

Una dies Fabios ad bellum miſerat omnes.

Ad bellum miſſos perdidit una dies.

2. *Palilogia*, quæ fit *cum verbum, quod erat in fine ſententiæ, iteratur initio alterius*. Cic. pro Lig. *Principum dignitas erat pene par; non par fortaſſe eorum, qui ſequebantur*. Virg. Æneid. 10.

Urbs Etruſca ſoloſequitur pulcherrimus Aſtur:

Aſtur equo fidens, & verſicoloribus armis.

Si autem *Palilogia* conjungatur *Correctioni*, magnam habet acrimoniam; ut in Catil. 1. *Hic tamen vivit; vivit; imò in Senatum venit*.

Polyptoto etiam poteſt permutari hæc figura, mutato ſcilicet caſu vel numero &c. ut pro Roſc. *Injuriam novo ſcelere conflatam putant, oportere defendi; defendere ipſi propter iniquitatem temporum non audent*.

3. *Diacope*; & eſt, *quando idem repetitur verbum aliquâ interjectione, aut verborum, aut Parentheſis facta*. Ut pro Mil. *Tuas Cn. Pompei (te enim appello* eá

eâ voce, ut audire me poſſis) tuas, inquam, ſuſpiciones perhorreſcimus. Virg. Georg. 4.

Scis, Protheu, ſcis ipſe; neque eſt te fallere cuiquam.

Trajectio Græcè *Polyptoton* fit, (6.) *quoties idem verbum variato caſu ponitur*. Caſus autem Logicorum more comprehendit genus, numerum, gradus, tempora, modos, & Perſonas. Ut Cic. pro Roſc. Amer. *Si quis iſtorum dixiſſet, quos videtis adeſſe, in quibus ſumma authoritas eſt, atque amplitudo: ſi verbum de Rep. feciſſet; id quod in hâc causâ fieri neceſſe eſt: multò plura dixiſſe, quàm dixiſſet, putaretur. Ego tametſi omnia, quæ dicenda ſunt, liberè dixero; nequaquam tamen ſimiliter oratio mea exire, atque in vulgus emanare poterit*. Virg. Æn. 4.

Litora litoribus contraria, fluctibus undas
Imprecor, arma armis.

Regreſſio figura eſt, (7.) *quæ repetit poſteriori loco, quæ erant priori poſita, & contra*. Cic. pro Planc. *Gratiam qui refert, habet; & qui habet, eo quod habet, refert.*

Conjunctio græcè *Polyſyndeton* eſt, (8.) *cum interpoſitione verbi & ſuperiores orationis partes comprehenduntur, & inferiores*. Plurimùm confert ad rerum copiam: ad iræ, incitatique animi impetum declarandum. Cic. de offic. 1. *Quod in Catullo & in Patre, & in Filio, itemque in Quinctil. Mutio videmus*. Ovid. Faſt. 2.

Nec prece, nec pretio, nec movet ille minis.

Synonimia, quæ etiam dicitur *Interpretatio* eſt, (9.) *quæ non iterans idem redintegrat verbum; ſed id commutat, quod poſitum eſt, alio verbo, quod idem valeat*. Sic Cic. in Piſon. *Ego te non vecordem, non furioſum, non mentecaptum, non tragico illo Oreſte,*

(6.) *Corr. de Eloq. lib. 4. c. 82.* (7.) *2. idem.*
(8.) *ad Heren. lib. 4. 27.* (9.) *ad Heren. lib. 4. c. 28.*

aut Athamante dementiorem putem, qui ſis auſus &c. Et in Catil. 1. *Perge, quò cepiſti. Egredere aliquando ex Urbe. Patent portæ. Proficiſcere &c.*

Hinc patet, quantùm ad exprimendos animi motus valeat hæc figura, quæ paſſim occurrit apud Poetas. Ita Virgil.

Quid puer Aſcanius? Superatnè & veſcitur aurâ
Ætbereâ; nec adhuc crudelibus occubat umbris?

ubi datâ operâ pluribus exponit, quod potuiſſet unico verbo: *vivitnè?* Elegantiſſimè Horat. per Synonimiam omnibus moriendum eſſe amplificat lib. 2. Ode 3.

Omnes eòdem cogimur, omnium
Verſatur urna: ſeriùs, ociùs
Sors exitura, & nos in æternum
Exilium impoſitura cymbæ.

Utimur hoc genere Elocutionis, inquit Voſſius, (10.) quoties uno verbo non ſatis videmur dignitatem, aut magnitudinem rei demonſtrare; ideòque in ejus ſignificatione plura conferuntur.

Gradatio græcè *Clımax* eſt, (11.) *in quâ non antè ad conſequens verbum deſcenditur, quàm ad ſuperius conſcenſum eſt*. Cic. ad Att. lib. 2. Epiſt. 23. *Si ſtas, ingredere: ſi ingrederis, curre: ſi curris, advola*. Et Virg. Ecgl. 2.

Torva leæna lupum ſequitur: lupus ipſe capellã;
Florentem Cityſum ſequitur laſcira capella.

Quinctil. (12.) Schemma iſtud multum venuſtatis habere fatetur. Sed quia apertiorem artem continet, rariùs eſt adhibendum; nec fortè, niſi res ipſæ habeant ſucceſſionem, aut gradus, ut in Genealogiis &c. Bis tantùm Demoſthenem hanc adhibuiſſe figuram, quidam advertunt.

De

(10.) *lib. 4. c. 12.* (11.) *ad Heren. lib. 4. 25.*
(12.) *lib. 9. c. 9.*

De figuris verborum, quæ fiunt per Detractionem:

CAPUT XIX.

INtellectio, græcè *Synecdoche* tunc fit, (1.) *cum ſubtractum aliquod verbũ ex cæteris intelligitur*. Cic. ad Att. lib. 2. Epiſt. 9. *Epiſtolam cum a te avidè expectarem; ecce tibi nuncius*. Subtractum verbum *venit* facilè intelligitur. Virg. En. 1.

Sed vos qui tandem; quibus aut veniſtis ab oris?

Plura alia invenies exempla apud Grammaticos, ubi de Ellipſi præcepta inſtituunt.

Adjunctio fit, (2.) *cum verbum, quo res comprehenditur, non interponimus, ſed aut primum, aut poſtremum collocamus*. Cic. pro Cluent. *Eâ flagrat cupiditate, ut illam nec pudor ab infamiâ, nec pudicitia a ſtupri fæditate, nec pietas a ſcelere, nec Generis, ac Familiæ macula a libidinum turpitudine avocare queat*. Virg. Æneid. 3.

Ire iterum in lacrymas, iterum tentare precando
Cogitur, & ſupplex animos ſubmittere amori.

Disjunctio figura eſt, (3.) *cum eorum, de quibus dicimus, unumquodque certo concluditur verbo*. Cic. pro Sext. prope finem: *Amemus Patriam: pareamus Senatui: conſulamus bonis: præſentes fructus negligamus: Poſteritati, & gloriæ ſerviamus; id eſſe optimum putemus, quod erit rectiſſimum: ſperemus, quod volumus; ſed quod acciderit, feramus*. Ovid.

Poma dat Autumnus: formoſa eſt meſſibus æſtas:
Ver præbet flores: igne levatur Hyems.

Diſſolutio græcè *Aſyndeton* eſt, (4.) *quæ conjunctionibus verborum è medio ſublatis, partibus ſeparatis*

(1.) *Quinct. lib. 9. c. 3.* (2.) *ad Heren. lib. 4. 27.*
(3.) *ad Heren. lib. 4. 27.* (4.) *ad Heron. lib. 4.*

ratis effertur. Ita Tull. pro Arch. Poet. *Hæc ſtudia literarum adoleſcentiam alunt: ſenectutem oblectant: ſecundas res ornant: adverſis perfugium, ac ſolatium præbent: Delectant domi: non impediunt foris: pernoctant nobiſcum: peregrinantur: ruſticantur.* Et Mart. lib. 2.

Frange toros: pete vina: roſas cape: tingere nardo.

Quinctilianus (5.) ad celeritatem, atque ad impetum exprimendum hoc ſchemma aptum natum affirmat, inquiens, eò utendum eſſe, *cum quid inſtantiùs dicimus; nam & ſingula inculcantur, & quaſi plura fiunt*. Ut in illo Virg. Æneid. 4.

Ferte citi ferrum: date vela: impellite remos.

In vitiis etiam, aut virtutibus enumerandis potiſſimùm valet Diſſolutio, ut patet in ult. contra Ver. *Hujus furta, rapinas, crudelitatem, ſuperbiam, ſcelus, audaciam rerum geſtarum magnitudine, atque Imperatoriis laudibus tegere conaris.*

Et Terent. Adelph. 3. 2.

Tot res repente circumvallant, unde emergi non poteſt:
Vis, egeſtas, injuſtitia, ſolitudo, infamia.

De figuris Verborum, quæ per Similitudinem fiunt.

CAPUT XX.

ANnominatio græcè *Paranomaſia* fit, (1.) cum *parvâ verbi immutatione, in aliam planè ſententiam deflectitur Oratio*. Ut Cic. in Catil. 1. *Quid de hujus Urbis, atque adeò Orbis exitio cogitent.* Virg. Æn. 1.

Haud aliter puppeſque tuæ, pubeſque tuorum.

Schem-

(5.) *lib. 9. c. 3.* (1.) *Voſſ. lib. 4. c. 12.*

Schemma hoc, de quo loquitur Cicero 2. de Orat. non tantùm valet ad delectandum; ſed vehementiùs etiam pungit: ut facit idem Cic. contra M. Ant. Philip. 3. Verùm Tyrones, & quibus judicium nondum firmavit ætas, rariùs hanc figuram adhibeant; facilè enim in puerilitates prolabentur. Hinc Fabius lib. 9. inquit. *Aliter quoque voces aut eâdem, aut diverſâ ſignificatione ponuntur, aut productione tantùm, aut correptione mutatæ; quod etiam in jocis frigidum. Equidem tradi inter præcepta miror; eorumque exempla vitandi potiùs, quàm imitandi gratiâ pono.*

Similiter Cadens fit, (2.) *cum duo vel plura Commata in eumdem caſuum ſonum terminantur.* Ubi caſuum nomine etiam verborum, quæ inſtar caſuum ſunt in Conjugationibus, intellige. Cic. pro Arch. *Hunc ego non diligam? Non admirer? Non omni ratione defendendum putem?* Virg. Ecgl. 8.

Ut vidi: ut perii: ut me malus abſtulit error.

Similiter Deſinens eſt, (3.) *cum tametſi caſus non inſunt in verbis; tamen ſimiles exitus ſunt.* Cic. pro Mil. *Non modò ad ſalutem ejus extinguendam, ſed etiam gloriam per tales Viros infringendam.*

Virg. Æneid. 2.

Nec priùs amiſſam reſpexi, animumque reflexi.

Utraque hæc figura ferè ſemper unitur; atque ambæ Orationem ornant, ſi moderatè: deformant verò, ſi frequentiùs, quàm par eſt, adhibeantur.

Compar græcè *Iſocolon* vocatur, (4.) *Quod habet in ſe membra orationis, quæ conſtant ex pari ferè numero ſyllabarum.* Cic. pro M. Marc. *Ex quo profectò intelligis, quanta in dato beneficio ſit laus; cum in accepto tanta ſit gloria.* Virg. Æneid. 8.

Nunc

(2.) *Ariſt. Rhet. 20.* (3.) *ad Heren lib. 4. 20.*
(4.) *ad Heren. ibid.*

. . . . *Nunc viribus uſus*,
Nunc manibus rapidis, *omni nunc arte Magiſtrâ*.

Plurimum tamen hoc ſchemma leporis, & gratiæ amittet; niſi ejus lateat artificium.

De figuris verborum, *quæ per Contrarium fiunt*.

CAPUT XXI.

Cohabitatio figura eſt, (1.) *quâ contraria in eâdem re, vel Perſonâ ſimul conjunguntur*. V. g. *Ades*, *abeſſe vis*: *abes*, *reverti cupis*: *in pace bellum quæritas*: *in bello pacem deſideras*. Virg. Æneid. 4.

Quæſivit cœlo lucem, *ingemuitque repertâ*.

Huic contraria eſt *Paradiaſtole*; ſicut enim in illâ contraria copulantur: ita in iſtâ ſimillima diſcernuntur. Cic. pro Mil. *Eſt enim*, *Judices*, *non ſcripta*, *ſed nata lex*; *quam non didicimus*, *accepimus*, *legimus*; *verùm ex naturâ ipsâ arripuimus*, *hauſimus*, *expreſſimus*; *ad quam non docti*, *ſed facti*, *non inſtituti*, *ſed nati ſumus*. Virg. Æn. 1.

Miratur molem Æneas: *mapalia quondam*.

Commutatio eſt, (2.) *cum duæ ſententiæ inter ſe diſcrepantes ex transjectione ita efferuntur*, *ut a priore poſterior contraria priori proficiſcatur*. Plaut. in Apoph. *Non poſſidet pecuniam*, *qui pecuniæ ſervit*; *ſed is*, *cui ſervit pecunia*. Auſ. Epitaph. 30.

Infelix Dido, *nulli bene nupta marito*:
Hoc pereunte fugit: *hoc fugiente perit*.

Antitheton fit, (3.) *quando vocabula vocabulis per contrarium opponuntur*. Cic in Catil. 2. *Hos verò quis ferre poſſit? inertes Viros fortiſſimis Viris inſidia-*

(1.) *ad Heren. lib. 4.* (2.) *ad Heren. lib. 4. 28.*
(3.) *Lud. Gran. Eccleſ. Rhet. lib. 5.*

ſtiliari, ſtultiſſimos perditiſſimis, ebrios ſobriis, dormientes vigilantibus. Virg. Æneid. lib. 9.

Volvitur ille vomens calidum de pectore flumen
Frigidus . . . . .

Poſtrema hæc tria Schemmata, quæ è contrariis conſtant, etiam in ſententiis habent locum; quarè utrobique licebit illa admittere; ut Oratori expedierit.

De Figuris Sententiarum.

CAPUT XXII.

ARtes illas validiſſimas, quibus quondam Roma capta, cum Tullium pro Roſcio, pro Cluentio perorantem audivit: quibus univerſa Græcia devicta, cum Periclis, Demoſthenis, Æſchinis tonitrua exhorruit: non aliunde, quàm a figuratâ ſententiarum varietate formam habuiſſe, nemo eſt, qui velit inficiari. Hujus enim ope Orator res amplificat: affectus movet: ſales permiſcet: copiam denique dicendi oſtentat; cuncta tamen cum aliquâ judicii temperantiâ, ne ſatietatem Audientibus inducat. Nam ſicuti in unguentis nimiâ, & acerrimâ ſuavitate condîtis offendimur: moderatis oblectamur; ita ſanè in Oratione non omnia nimis excolenda erunt; cum voluptatibus etiam maximis finitimum ſit faſtidium. De hoc itaque ſplendidiſſimo totius Oratoriæ provinciæ ornamento, quod ſententiarum ſchemmata peperere, diſtinctè agemus; & quoniã horum alia ad confirmandum, & confutandum in contentione: alia ad rem amplificandam, atque exaggerandam: alia denique ad effectus exprimendos, movendoſque apta nata eſſe videntur; hinc eadem in tres Claſſes diſtincta proponã;

quam-

quamvis boni Oratoris illud ſit, ea promiſcuè ſchemmata in Oratione adhibere, quæ viderit ad ſuum finem obtinendum magis accommodata.

De Figuris ad amplificandum idoneis.
De Deſcriptione, ejuſque ſpeciebus.

CAPUT XXIII.

DEſcriptio, græcè *Hypothipoſis*, eſt, (1.) *cum res ita clarè copioſèque exponitur, ut coram ſpectari videatur*. Eximium ſanè Orationis ornamentum, quod in homine Eloquente potiſſimùm requiritur, non tam ad amplificandum, quàm ad fidem obtinendam, varioſque in Auditoribus motus excitandos. Non enim, inquit Fabius, (2.) ſatis efficit, neque ut debet, plenè dominatur Oratio; ſi uſque ad aures volet; atque ea ſibi Judex, de quibus cognoſcit narrari, credit non exprimi, & oculis mentis oſtendi. Sic ex. gr. totum quidem dixeris, ſi Urbem captam dixeris; ſed brevis hic nuncius minùs animum pervadit. At ſi aperias, quæ uno erant incluſa verbo, *apparebunt effuſæ per Domos, ac Templa flammæ, & ruentium tectorum fragor, & ex diverſis clamoribus unus quidam ſonus: aliorum fuga incerta: alii in extremo complexu ſuorum cohærentes, & Infantium, Fæminarumque ploratus, & malo uſque in illum diem ſervati fato Senes: tum prophanorum, ſacrorumque direptio: efferentium prædas; repetentium diſcurſus, & acti ante ſuum quique prædonem catenati, & conata retinere Infantem ſuum Mater, & ſicubi majus lucrum eſt, pugna inter Victores.*

Qua-

(1.) *Voſſ. Part. Orat. l. 4. c. 16.*
(2.) *lib. 8. c. 3.*

Quatuor ut plurimùm admitti ſolent Deſcriptionis ſpecies ſcilicet: *Pragmatographia*: *Proſopographia*: *Topographia*; *Chronographia*.

Pragmatographia eſt *alicujus rei vel facti deſcriptio*. Ad hanc itaque pertinent deſcriptiones prœliorum, cædium, turbinum, naufragiorum, funerum &c. Sic tempeſtatem deſcribit Curtius lib. 8. *Tertio die ab omni parte Cœli emicare fulgura, & nunc internitente luce, nunc conditâ, non oculos modò meantis exercitus, ſed etiam animos terrere cœperunt. Erat prope continuus cœli fragor; & paſſim cadentium fulminum ſpecies viſebatur; attonitiſque auribus ſtupens agmen non progredi, nec conſidere audebat. Tum repentè imber grandinem incutiens torrentis modo effunditur*. Virg. 5. Æn. Daretis, & Entelli pugnam deſcribit.

Conſtitit in digitos extemplo arrectus uterque,
Brachiaque ad ſuperas interritus extulit auras.
Abduxere retro longè capita ardua ab ictu,
Immiſcentque manus manibus, pugnamque laceſſunt.
Ille pedum melior motu, fretuſque juventâ,
Hic membris, & mole valens; ſed tarda trementi
Genua labant; vaſtos quatit æger anhelitus artus.
Multa viri nequicquam inter ſe vulnera jactant,
Multa cavo lateri ingeminant, & pectore vaſtos
Dant ſonitus; erratque aures, & pectora circum
Crebra manus. &c.

Proſopographia eſt *veræ, vel fictæ Perſonæ deſcriptio ab exteriori corporis ſpecie*, Cic. pro Sext. Piſonem deſcribit eâ fronte, & ſupercilii gravitate, quâ probitatem ſimulans homines in fraudem induxit: *Veſtitus aſper noſtrâ hâc purpurâ plebejâ, ac penè*

penè fuſcâ, capillo ita horrido, ut Capua, in quâ ipſe tum imaginis formandæ causâ Duumviratum gerebat, Seplaſiam ſublaturus videretur. Nam quid ego de ſupercilio dicam, quod tum hominibus non ſupercilium, ſed pignus Reip. videbatur. Tanta erat gravitas in oculo, tanta frontis contractio; ut illo ſupercilio Reſpublica, tanquam Atlante Cœlum, niti videretur.

Fictæ Perſonæ deſcriptio veluti Virtutum, Vitiorum, Tyrannidis, Somni &c. frequentiſſima eſt apud Poetas. Ita Virg. Æneid. 4. Famæ deſcriptionem; aggreditur

Fama malum, quo non aliud velocius ullum,
Mobilitate viget, vireſque acquirit eundo:
Parva metu primo: mox ſe ſe attollit in auras,
Ingrediturque ſolo, & caput inter nubila condit.

Proſopographia ſæpè involvit Ethopejam, quæ hominis mores, & variam indolem deſcribit. Hinc enixè obſervandum, quid cuique Perſonæ conveniat; atque ideò

Ætatis cujuſque notandi ſunt tibi mores; (3.)
. . . . Ne fortè ſeniles
Mandentur Juveni partes, Pueroque viriles.

Sic Virg. Æneid. 2. Sinonis Perſonam, ac naturam breviter exprimit, cum dicit.

. . . . Fidens animi, atque in utrumque paratus
Seu verſare dolos, ſeu certæ occumbere morti.

Topographia eſt *veri loci deſcriptio*, ficuti quæ fictum locum deſcribit, dicitur *Topothesia*. Illâ itaque utimur ad ſitum aliquem oculis ſubjiciendum, veluti Urbem, Villam, Montem, Templum &c. Hâc deſcribimus vel Inferorum antrum, ut apud Virg. vel Famæ Domum, ſeu Somni ſedem, ut apud Ovidium.

Pri-

(3.) *Her. de art. poet.*

Prima frequentiſſima eſt apud Oratores, Hiſtoricos, & Poetas; Altera apud Poetas tantùm. Cic. in Ver. 7. Latumias Syracuſanas breviter ita deſcribit: *Latumias Syracuſanas omnes audiviſtis, plerique noſtis. Opus eſt ingens, magnificum, Regum, ac Tyrannorum; totum eſt è ſaxo in mirandam altitudinem depreſſo, & multorum operis penitus exciſo. Nihil tam clauſum ad exitus, nihil tam ſeptum undique, nihil tam tutum ad cuſtodias nec fieri, nec cogitari poteſt.*

Exemplum Deſcriptionis ficti loci habes apud Virg. Æneid. 6.

Devenere locos lætos, & amæna vireta
Fortunatorum nemorum, ſedeſque beatas.
Largior hic campos æther, & lumine veſtit
Purpureo; Solemque ſuum, ſua ſydera nôrunt.

Chronographia eſt *temporum deſcriptio*, ut Noctis, Auroræ, Hyemis &c. Frequens eſt apud Oratores; quoniam plurimùm valet ad probandum. Sic Cic. deſcribit tempus, quo Roſcius fuit interfectus, rediens a cænâ; cum Gladiatorum maxima eſſet impunitas. Et pro Mil. Clodium oſtendit inſidiatorem, cum Præturam peteret; & Milonem eodem tempore futurum Conſulem videret. Sed in hoc potiſſimùm genere feliciores ſunt Poetæ. Sic Virg. Æneid. 8. mediam noctem ita deſcribit.

Nox erat, & terras animalia feſſa per omnes
Alituum, pecudumque genus ſopor altus habebat.

Auroram in 7. Æneid.

Jamque rubeſcebat radiis mare; & æthere ab alto
Aurora in roſeis fulgebat lutea bigis.

Meridiei tempus in Georg. 4.

Ipſa ego te medios cum ſol accenderit æſtus,
Cum ſitiunt herbæ, & pecori jam gratior umbra eſt,

In ſecreta Senis ducam &c.

Veſpertinum 2. Georg.

Ni roſeus feſſos jam gurgite Phœbus ibero
Tingat equos; noctemque die labente reducat.

De Diſtributione, & Expolitione.

CAPUT XXIV.

Diſtributio eſt, (1.) *cum in plures res, aut Perſonas certas negotia quædam diſpertiuntur.* Cic. pro Cæl. *Si voluit accuſare, pietati tribuo: ſi juſſus eſt, neceſſitati: ſi ſperavit aliquid, pueritiæ.* Joel. c. 1. *Luxerunt Sacerdotes: depopulata eſt regio; luxit humus; quoniam devaſtatum eſt triticum. Confuſum eſt vinum: elanguit oleum: confuſi ſunt Agricolæ: ululaverunt Vinitores &c.* Virg. 4. Georg. de Apibus.

. . . . Aliæ victu invigilant, & fœdere pacto
Exercentur agris: pars intra ſepta domorum
Narciſſi lacrymam, & lentum de cortice gluten
Prima favis ponunt fundamina; deinde tenaces
Suſpendunt ceras: aliæ ſpem gentis adultos
Educunt fœtus: aliæ puriſſima mella
Stipant, & dulci diſtendunt nectare cellas.
Sunt, quibus ad portas cecidit cuſtodia ſorti;
Inque vicem ſpeculantur aquas, & nubila Cæli;
Aut onera accipiunt venientúm; aut agmine facto
Ignavum fucos pecus a præſepibus arcent.

Huc etiam poteſt referri Attributio, quæ fit, (2.) *quoties Perſonæ aut rei modum aliquem attribuimus:* V. g. anno ubertatem, aeri tempeſtatem, nocti ſilentium &c. Cic. in Ver. 6. *Erat hyems ſumma, tempeſtas*

(1.) *ad Heren. lib. 4. 35.*
(2.) *Corr. de Eloq. lib. 4. c. 30.*

peſtas perfrigida, imber maximus; cum iſte imperat Lictoribus, ut Sopatrum de porticu, in quâ ipſe ſedebat, præcipitem in forum dejiciant, nudumque conſtituant. Virgil. Noctem deſcribit per Attributionem hoc pacto. Æneid. lib. 3.

Nam neque erant Aſtrorum ignes, nec lucidus Æthrâ
Sydereâ polus; obſcuro ſed nubila Cælo,
Et lunam in nimbo nox intempeſta tenebat.

Expolitio eſt, (3.) *cum in eodem loco manemus; & aliud, atque aliud dicere videmur.* Cic. in Catil. 1. *Patère tua conſilia non audis? conſtrictâ jam Bonorum omnium conſcientiâ teneri conjurationem tuam, non vides? Quid proximâ, quid ſuperiore nocte egeris: ubi fueris: quos convocaveris: quid conſilii ceperis, quem noſtrum ignorare arbitraris?* Job c. 23. hanc ſententiam. *In Juſtitiâ ſemper ambulavi* per expolitionem ita amplificat. *Veſtigia ejus ſecutus eſt pes meus: viam ejus cuſtodivi, & non declinavi ex eâ: a mandatis labiorum ejus non receſſi; & in ſinu meo abſcondi verba oris ejus.* Denique Virg. ſic Ecgl. 2.

Deſpectus tibi ſum; nec quis ſim, quæris Alexis;
Quàm dives pecoris: nivei quã lactis abundans.
Mille meæ ſiculis errant in montibus agnæ:
Lac mihi non æſtate novum, non frigore deſit.

Confert hoc Schemma ad rem exaggerandam, & ad movendum. Hinc locum poſt alicujus rei probationem utplurimùm habebit; præcipuè cum aſſeveramus, indignamur, dolemus, commiſeremur, aut exprobramus aliquid. Cavendum tamen diligenter, ne in re tenui verſandâ, vitioſam potiùs, quàm neceſſariam operam impendamus.

(3.) *ad Heren. lib. 4. 42.*

De Elogio , & Epiphonemate.

CAPUT XXV.

ELogium eſt (1.) *ſententia , quæ ex opinione , & judicio dicentis proficiſcitur in laudem , vel vituperationem alicujus* . Cic. pro leg. Manil. *Jam Cn. Pompejus humanitate tantâ eſt , ut difficile dictu ſit ; utròm hoſtes magis virtutem ejus pugnantes timuerint , an manſuetudinem victi dilexerint* .
Virg. Æneid. 9. de Lauſo.

Lauſus equûm domitor , debellatorque ferarum,
. . . . . . dignus patriis qui lætior eſſet
Imperiis , & cui Pater haud Mezentius eſſet .

Epiphonema eſt, (2.) *ſumma rei narratæ , aut probatæ acclamatio* . Hæc figura magrâ ex parte pronunciatione juratur . Cic. pro Mil. *Facere enim probus Adoleſcens periculosè , quàm perpeti turpiter maluit* . Utimur hoc ſchemmate

1. *Admirationis causâ* . Sic Cic. in 1. Paradox. *Ob Dii immortales ! non intelligunt homines , quàm magnum vectigal ſit parſimonia* . Et Virg. 4. Georg. poſtquam Apum induſtriam in melle conficiendo expoſuit, hinc addit:

Tantus amor florum , & generandi gloria mellis .

2. *Ut ſummam rei comprehendamus* . Ita Val. Max. lib. 1. cap. 35. factâ de neglectu Religionis , deque repetitis a Numine pœnis exaggeratione , ſubdit : *Lento enim gradu ad vindictam ſui divina procedit ira ; tarditatemque ſupplicii gravitate compenſat* . Et Virg. Ecgl. 1. poſtquam docuit animalia ſingula ex re quapiam delectationem capere , ſubjicit : *trahit*

(1.) *Corr. lib. 4. c. 23.* (2.) *Quinct. lib. 8. c. 6.*

. . . . *trabit ſua quemque voluptas.*

3. Denique fit, *ut ſententiam firmet; obſignetque ſuperiora*. Sic Demoſth. Olynt. 2. poſtquam de Philippi egerat improbitate, concludit: *Res ſecundæ magnam vim habent ad occultanda, & adumbranda iſtiuſmodi probra.*

Aliqui cum Epiphonemate Judicationem confundunt; ſed perperam. Judicatio enim dicitur, (3) *quoties Orator, vel Poeta judicium ſuum interponit aliquâ illuſtri ſententiâ*; fitque vel cum exclamatione admirationis, vel ſine. Exempl. poſterioris generis eſt pro Dejotar: *En crimen, en cauſa, cur Regem fugitivus, Dominus ſervum accuſet*. Exempl. prioris in Verr. 5. *Ob conſuetudo peccandi! quantam habes jucunditatem in improbis, & audacibus, cum pæna abfuit, & licentia conſecuta eſt*. Virg. Æneid. 4.

Heu Vatum ignaræ mentes! quid vota furentem,
Quid delubra juvant.

De Præteritione, Incremento, & Congerie.

CAPUT XXVI.

Præteritio figura eſt, (1) *cum dicimus nos præterire, aut non ſcire, aut nolle dicere id, quod tunc maximè dicimus*. Cic. in Divinat. contra Cæcil. *neque ea dico, quæ ſi dicam, tamen infirmare non poſſis; te, antequam de Siciliâ deceſſeris, in gratiam rediiſſe cum Verre: Potamonem Scribam, & familiarem tuum retentum eſſe a Verre in Provinciâ, cum tu decederes: M. Cæcilium fratrem tuum non modò non adeſſe, nec tecum tuas injurias perſequi, ſed eſſe cum Verre: cum illo familiariſſimè, atque amiciſſimè vivere. Sunt hæc, & alia falſi accuſatoris ſigna permulta,*

(3.) *Corr. lib. 4. c. 22.* (1.) *ad Her. lib. 4. c. 27.*

multa, quibus ego nunc non utor. Virg. Georg. 4.

Verùm hæc ipſe equidem ſpatiis excluſus iniquis
Prætereo; atque aliis poſt cōmemoranda relinquo.

Hæc utilis eſt exornatio, inquit Auctor ad Her. (2.) ſi aut rem, quam non pertinet aliis oſtendere, occultè admonuiſſe prodeſt; aut ſi longum eſt, aut ignobile, aut planum, aut facilè poteſt reprehendi, ut utilius ſit, occultè fecisse ſuſpicionem, quàm hujuſmodi intendiſſe orationem, quæ redarguatur.

Huc etiam illa referuntur, cum fingimus rem tantam eſſe, ut exprimi non poſſit. Ut pro Cæl. *Dies me deficiet, ſi quæ dici in hanc ſententiam poſſunt, coner expromere. De corruptelis, de protervitate, de ſumptibus immenſa eſt Oratio.*

Præteritioni videtur affine Silentium, græcè *Apoſiopeſis*. (3.) *cum rem aliquam dicturus, ipſam quidem conticeat, ſuſpicionem autem infigat*. Hæc figura perfamiliaris fuit Demoſtheni, in cujus Orationibus plurima ſunt exempla. Sic contra Charidemum: *Cujus mater, quæ, aut unde ſit, non dicam; nec enim neceſſe habeo plura inquirere, quàm res cogit*. Nihil enim tale dixiſſet, quale inſinuavit. Hyperid. *Cogis me injuria tua cauſam proferre. Nihil agis: non dicam; ſed ipſum tempus eam patefaciet.*

Incrementum græcè *Auxeſis* fit, *quando verbum aliquod majoris energia alteri poſtponitur ſinè præcedentis repetitione*. Exempl. habes apud Cic. Philip. 2. de vomitu Antonii. *Ob rem non viſu modò fœdam; ſed etiam auditu! Si inter cænam in tuis immanibus illis poculis hoc tibi accidiſſet, quis non turpe diceret? In cætu verò Pop. Rom. negotium publicum gerens, Magiſter Equitum, cui ructare turpe eſſet: is*

fruſtis

(2.) *Ibid.* (3.) *Tiber. Rhet. de ſchem. Demoſth.*

fruſtis eſculentis vinum redolentibus gremium ſuum, & totum tribunal implevit. Singulæ voces Incrementum habent. Turpe enim eſſet, privatim inter cęnandum vomere: turpiùs, coram Pop. Rom.: turpiſſimum, Magiſtratum gerens. Virg. Ecgl. 5.

Ipſi lætitiâ voces ad ſydera jactant
Intonſi montes: ipſæ jam carmina rupes:
Ipſa ſonant arbuſta &c.

Congeries eſt (4.) *Verborum, & ſententiarum idem ſignificantium acervus*. Ea fieri poteſt duobus modis, vel cum una res multiplicatur, vel cum plures res congeruntur. Cic. pro Mil. *Tu P. Clodii cruentum cadaver ejeciſti domo: tu in publicum ejeciſti: tu ſpoliatum imaginibus, exequiis, pompâ, laudatione, infeliciſſimis lignis ſemiuſtulatum, nocturnis canibus dilaniandum reliquiſti*. Virg. Æneid. 4.

Non arma expedient, totâque ex Urbe ſequentur?
Diripientque rates alii navalibus? ite:
Ferte citi flammas: date tela: impellite remos.

De Figuris ad movendum idoneis.
De Apoſtrophe, & Perculſione.

CAPUT XXVII.

Apoſtrophe latinè *Inverſio* eſt, (1.) *cum ſermonem aliò avertimus, quàm inſtituta requirat Oratio*. Pulcherrima, atque vehementiſſima figura eſt, quâ *ad Deum. ad Homines, ad res etiam inanimes* extemplo Oratio convertitur.

Ad Deum. Cic. pro Dom. ſuâ: *Ob Dii immortales! Vos enim hæc audire cupio, impius hic veſtra Sacra curat? Veſtrum Numen horret? Non illudit au-*

(4.) *Major. Comm. in Part. Orat.*
(1.) *Voſſ. lib. 4. c. 21.*

ctoritati omnium? Virgil. Æneid. 1.

> *Muſa mihi cauſas memora, quo Numine læſo,*
> *Quidve dolens Regina Deûm, tot volvere caſus*
> *Inſignem pietate Virum, tot adire labores*
> *Impulerit.*

Ad Homines. Cic. pro Mil. *Vos vos appello fortiſſimi Viri, qui multum pro Patriâ ſanguinem effudiſtis.* Virg. Æneid. 6.

> *Quo feſſum rapitis Fabii? Tu Maximus ille es*
> *Unus, qui nobis cunctando reſtitues rem.*

Ad res inanimes, ſenſuque carentes. Cic. pro Mil. *Vos Albani tumuli, atque luci, vos, inquam, imploro, & obteſtor; voſque obrutæ aræ, quas ille ſubſtructionum inſanis molibus oppreſſerat: veſtræ tum religiones viguerunt: veſtra vis valuit.* Pſ. 111 *Quid eſt tibi mare, quòd fugiſti; & tu Jordanis, quia converſus es retrorſum.* Hor. Epod.

> *O fons Blanduſiæ ſplendidior vitro,*
> *Dulci digne mero.*

1. Itaque utimur hâc Figurâ *ad Urgendum.* Cic. pro Ligar. *Quid enim, Tubero, tuus ille diſtrictus in acie pharſalicâ gladius agebat? Cujus latus mucro ille petebat? Qui ſenſus erat armorum tuorum? Quæ tua mens, oculi, manus, ardor animi? Quid cupiebas, quid optabas?* Ex quo exemplo patet, quantam vim acquirat mixta hæc Figura cum Interrogatione.

2. *Ad increpandum.* Ut in Cat. 1. *Quouſque tandem abutère, Catilina, patientiâ noſtrâ? Quandiu nos etiam furor iſte tuus eludet?*

3. *Ad invocandum.* Apud Poetas frequentiſſimè initio Poematum. Ovid. Metamor. lib. 1.

> *In nova fert animus mutatas dicere formas*
> *Corpora: Dii cæptis (nam vos mutaſtis & illa)*
> *Aſpirate meis &c.*

4. *Ad vituperandum.* Veluti in 13. Philip. *O Spartace! Quem enim tè potiùs appellem, cujus propter nefan-*

nefanda ſcelera tolerabilis fuiſſe videtur Catilina.

5. *Ad laudandum*. In 14. Philip. *O fortunata mors, quæ naturæ debita, pro Patriâ eſt potiſſimùm reddita. Vos verò Patriæ natos judico, quorum etiam nomen a Marte eſt; ut idem Deus Urbem hanc Gentibus, vos huic Urbi genuiſſe videatur.*

6. *Ad gratulandum*. Sic Claudian. de Nuptiis Honorii.

Age cuncta nuptiali
Redimita vere tellus:
Celebra thoros heriles:
Omne nemus cum fluviis,
Omne canat profundum.
Ligures favete campi:
Veneti favete montes &c.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Non ſit tamen in Oratione frequentius hoc ſchemma; neque ſine Verborum, ac ſententiarum delectu uſurpetur; tunc etenim nihil illo ineptius. Poetis eodem utendi liberior datur facultas.

Perculſio eſt (2.) *comminatio ad retinendos Auditores in officio*. Cic. in Verr. 2. *An me taciturum tantis de rebus exiſtimaviſtis? Et in tanto Reipub. exiſtimationiſque meæ periculo cuiquam conſulturum potiùs, quàm officio, & dignitati meæ?* Virg. Æn. 10.

Adveniet juſtum pugnæ, ne accerſite, tempus,
Quo fera Chartago Romanis arcibus olim
Exitium magnum, atque Alpes immittet apertas.

De

(2.) Corr. lib. 4. c. 38.

De Exclamatione, & Comminatione.

CAPUT XXVIII.

EXclamatio fit, (1.) *quando Oratio Interjectionem habens expreſſam, aut intellectam, animi affectum, ac rei magnitudinem ſignificat*. Exempl. cum Interjectione habes in lib. 2. Epiſt. 8. ad Att. *O ſuaves Epiſtolas tuas, uno tempore mihi datas duas! quibus Evangelia, quæ reddam, neſcio: deberi quidem, planè ſateor*. Sine interjectione apud Virg. Ecgl. 1.

. . . . En quò diſcordia Cives
Perduxit miſeros! En queis conſevimus agros!

Hoc Schemma habet interdum conjunctam *Ironiam*; ut pro Balbo: *O præclarum Interpretem Juris, Auctorem antiquitatis, Correctorem, atque Moderatorem noſtræ Civitatis!*

Interdum *Admirationem*; ut in 1. Æneid.

O quam te memorem Virgo! namque haud tibi vultus
Mortalis, neque vox hominem ſonat: O Dea certè!

Aliquando *Optationem* ut apud Ovid. Epiſt. 1.

O Utinam tunc, cum Lacædemona claſſe petebat,
Obrutus inſanis eſſet adulter aquis.

Nonnumquam *Dolorem, & animi affectum re aliquâ concitatum*: ſic Horat. lib. 1. Od. 14.

Quis deſiderio ſit pudor, aut modus
Tam cari Capitis? Præcipe lugubres
Cantus Melpomene cui liquidam Pater
Vocem cum cytharâ dedit.
Ergo Quinctilium perpetuus ſopor
Urget? Ex

(1.) *Voſſ. lib. 4. c. 21.*

Ex gravi etiam *indignatione* erumpit ſæpiſſimè Exclamatio. Ut in Orat. pro Cæl. *Proh Dii immortales! Cur interdum in hominum ſceleribus maximis, aut connivetis, aut præſentis fraudis pœnas in diem reſervatis?* Sic Dominus apud Math. 17. *Oh Generatio incredula, atque perverſa! quandiu apud vos ero? quouſque vos patiar?*

Ad *Miſerationis* denique motus exprimendos plurimùm confert. Virg. Æneid. 2.

> *Hei mihi qualis erat, quantùm mutatus ab illo*
> *Hectore, qui redit exuvias indutus Achillis,*
> *Vel Danaûm Phrygios jaculatus puppibus*
> *ignes!*

Hujuſmodi figuram non quovis loco adhibebis; ſed ubi res magnas perſuaſeris; quoniam in re levi exclamare, furentis eſt, non Oratoris; neque in principio exclamandum, ſed re expoſitâ; ne videaris debacchari potiùs, quàm dicere. Quarè in Epilogis maximè locum habebit.

Comminatio eſt, quæ *grave incommodum intentat, ut ab incepto deterreat*. Sic Cic. pro Muren. Grande periculum prædicit, illique ſolertiſſimè obviam eumdum monet. *Sed quid tandem fiet, ſi hæc elapſa de manibus noſtris, in eum annum, qui conſequitur, redundârint? Illa peſtis immanis Catilinæ prorumpet, quà poterit; & jam Pop. Rom. minatur. In agros ſuburbanos repentè advolabit. Verſabitur in Caſtris furor: in Curiâ timor: in foro conjuratio: in campo exercitus: in agris vaſtitas; omni autem in ſede, ac loco ferrum, flammamque metuemus.*

Vix opinamini, quàm imperanti, & magna intentanti efficax ſit hæc figura; præcipuè verò ad terrorem incutiendum; ut Cives nimiùm ſui ſecuros ad honoris & vitæ defenſionem, propoſitis calamitatibus, excitet.

De Interrogatione, & Dubitatione.

CAPUT XXIX.

INterrogatio, interdum ut intelligat, plerunque ut urgeat, percunctatur. Si ad intelligendum duntaxat adhibetur, cujuſmodi ſunt iſta: *Ita nè verò? Salvæ res ſunt? Quid novi? Quid ni? Ain tu? Quid agitur &c.* è Schemmatum calculo excluditur. Si verò (1.) *non ſciſcitandi gratiâ aſſumatur, ſed urgendi, & inſtandi, varioſque animi motus exprimendi*, tunc erit Figura. Mirum utique eſt, quantùm orationem evehat; quotque de cauſis adhibeatur.

1. Igitur *aſſeverandi* causâ ut illud Virg. Ecgl. 3.
Nonne ego te vidi Damonis peſſime caprum
Excipere inſidiis?

2. *Inſtandi*. Virg. Æneid. 2.
. . . . *Quid ceſſas? An tibi Mavors*
Ventoſâ in linguâ, pedibuſque fugacibus iſtis
Semper erit?

3. *Admirationis*. Cic. Philip. 2. *At quàm inſolenter ſtatim Helluo invaſit in ejus Viri fortunas, cujus virtute terribilior erat populo Rom., cæteris Gentibus juſtitiâ carior?* Apud Hierem. thr. 4. *Quomodò obſcuratum eſt aurum? mutatus eſt color optimus?* Æn. 3.
Quid non mortalia pectora cogis
Auri ſacra fames? . . . .

4. Indignationis. Cic. 7. in Verr. *Quid eſt? Quid ad hæc cogitas reſpondere? Num mentiri me? Num fingere aliquid? Num augere crimen? Num quid borum dicere, iſtis Defenſoribus tuis audes?* Virgil Æn. 1.
. . . . . *Et quiſnam Numen Junonis adoret?*

5. Irri-

(1.) *Quinct. l. 9. c. 2.*

5. *Irriſionis* . Cic. pro Roſc. Amer. *Exhæredare Filium voluit : quam ob cauſam? Neſcio. Exhæredavitnè? Non. Quis prohibuit? Cogitabat. Cui dixit? Nemini*. D. Paul. 1. ad Corinth. 15. *Ubi eſt mors victoria tua? ubi eſt mors ſtimulus tuus?* Virg. Æn. 12. *Tunè hinc ſpoliis indute meorum.*
Eripiare mihi?

6. *Miſerationis*. Sinon apud Virgil. Æneid. 2.
Heu quæ me tellus, inquit, quæ me æquora poſſunt
Accipere? Aut quid jam miſero mihi denique reſtat?

7. *Reprehenſionis* Virg. 12. Æneid.
Non pudet, o Rutuli, cunctis pro talibus unam
Objectare animam?

Denique utimur Interrogatione, cum adverſarium vexantes, eò oratione conciſâ urgemus ad reſponſum, ut vix tempus ad reſpirandum illi concedamus. Ita Cic. pro Com. æd. *Stipulatus es? Ubi? Quo die? Quo tempore? Quo præſente? Quis ſpopondiſſe me dicit? Nemo*.

Plurimùm igitur valet hæc Figura ad conciliandã attentionem; quia aculei inſtar languentem excitat Auditorem, ſi moderatè uſurpetur. At parit faſtidium, ſi vanâ frequentetur oſtentatione.

Dubitatio fit, (1.) *cum ſimulamus quærere, unde incipiendum: ubi deſinendum: quid potiſſimùm dicendum; an omnino dicendum ſit*. Frequentiſſima eſt in dicendo hæc Figura, maximè ad attentionem, & animorum perturbationem excitandam. Quod ſi Exordium ſit per Inſinuationem: illius locus Exordium eſt. Cic. pro Roſc. Amer. *Quid primùm querar? aut unde potiſſimùm exordiar Judices? aut quod,*

(1.) *Quinct. lib. 9. c. 2.*

quod, *aut a quibus auxilium petam? Deorumnè immortalium? Populinè Romani? Veſtramnè, qui ſummam poteſtatem habetis, hoc tempore fidem implorem?* Job. c. 16. *Sed quid agam? ſi locutus fuero, non quieſcet dolor meus; & ſi tacuero, non recedet à me*. Virg. Æn. 4.

En quid agam? rurſuſnè procos irriſa priores
Experiar? Nomadumque petam connubia ſupplex,
Quos ego ſum toties jam dedignata Maritos?
Illiacas igitur claſſes, atque ultima Teucrûm
Juſſa ſequar &c.

De Emphaſi, & Ironiâ.

CAPUT XXX.

EMphaſis eſt Figura (1.) *cum ex aliquo dicto latens aliquid eruitur*. Quarè plurimùm ad Ornatum Orationis pertinet; ea enim, non ut intelligatur, efficit; ſed ut plus intelligatur. Sic Cic. pro Ligar. *Quod ſi in hâc tantâ fortunâ lenitas tanta non eſſet, quantam tu per te, per te, inquam, obtines; intelligo quid loquar; acerbiſſimo luctu redundaret iſta victoria*. Tacuit enim illud, quod nihilominùs percipimus: nimirum homines non defuiſſe, qui eum ad crudelitatem impellerent.

Fabius (2.) præter hanc, alteram Emphaſis ſpeciem affert, *quæ ſcilicet plus ſignificat, quàm dicit*. Hinc Senec. Trag. Med. loquens de Argonautarum navigatione.

. . . . Quod fuit hujus
Pretium curſus? aurea pellis,
Majuſque mari Medea malum;
Merces primâ digna carinâ.

Per-

(1.) *Quint. lib.* 9. (2.) *lib.* 8.

Percipi vix poteſt horum verborum efficacia ad Medeæ iniquitatem exprimendam.

Ironia eſt, (3.) *quoties per contrarium ſignificamus aliud contrarium*. Hæc autem (4) aut pronunciatione intelligitur, aut Perſonâ, aut rei naturâ. Nam ſi qua earum verbis diſſentit, apparet diverſam eſſe Orationi voluntatem. Tale eſt illud Cicer. in Clod: *Integritas tua te purgavit, mihi crede: vita anteacta ſervavit*. Ubi, ut Fabius ait, cum riſu quodã jis contraria dixit, quæ intelligi voluit.

Sic in 3. Reg. c. 18. *Clamate voce majore; Deus enim eſt, & forſitan loquitur; aut in diverſorio eſt, aut in itinere, aut certè dormit; ut excitetur.*

Quatuor ſunt Ironiæ ſpecies. *Sarcaſmus, Aſteiſmus, Charientiſmus, Paræmia.*

Sarcaſmus (5.) *eſt hoſtilis, & amara quædam irriſio ſuper jam mortuo, aut prope morituro*. Ut apud Math. 27 *Ave Rex* Judæorum. *Si Filius Dei es, deſcende de Cruce*. Virg. Æneid. 9.

I nunc, & verbis virtutem illude ſuperbis.

Aſteiſmus eſt faceta quædam irriſio, vel inexpectatus de re aliquâ abſurdâ jocus. Ita Cic. *Negabat jus tam nequam eſſe Verrinum*. Et Virg. Ecgl. 3.

Qui Bavium non odit, amet tua carmina Mævi.

Charientiſmus (7.) *eſt jocus cum amænitate mordax*. Cic. pro Quinct. *Tum iſte Vir optimus (vereor, ne ſe derideri putet, quod iterum dico optimus) qui hunc in ſummas anguſtias adductum putaret, ut eum ſuis conditionibus in ipſo articulo temporis adſtringeret, aſſem ſe ſe negat daturum, niſi priùs de rationibus Societatis omnibus decidiſſet*. Et Turnus ad Drancem. Æneid. 11.

Larga

(3.) *Tiber. Rhet. de Schem. Demoſt.*
(4.) *Quinct. l. 8. c. 6.*
(5.) *Voſſ. lib. 4. 10.*
(6.) *Jul. Ruf. de fig.*
(7.) *Voſſ. ut ſup.*

Larga quidem ſemper Drance tibi copia fandi;
Tunc cum bella manus poſcunt, Patribuſque vocatis
Primus ades. Sed non replenda eſt Curia verbis,
Quæ tutò tibi magna volant, dum diſtinet hoſtem
Aggere murorum, neque inundant ſanguine foſſæ.

Paræmia, ſive Proverbium, eſt (8.) *Celebre dictum ſcitâ quâdam novitate inſigne*. Ut in hominem levem, & imperitum, qui tamen ſapiens videri velit, ſi dixeris: *vel tertius è Cœlo cecidit Cato, vel barbâ tenus ſapiens*.

Valet Ironia ad ſales, & acumina; vimque habet maximam ad delectandum, laceſſendum, atque urgendum diſſimulatione, & tectâ ſententiâ. Interdum etiam in Exordio adhibetur; quod ſecuritatem cauſæ oſtendit, ut apud Tull. pro Ligar. *Novum crimen &c.* In Hiſtoriâ verò, atque in teſtimonio, in quibus fides veritatis ineſſe debet, nunquam admittatur.

De Obſecratione, Optatione, & Imprecatione.

CAPUT XXXI.

Obſecratio (1.) eſt, *quando vel ad Deum confugimus: vel ab hominibus auxilium petimus: vel aliquid deprecamur, & obſecramus*. Cic. pro Mur. *Quæ cum ita ſint, Judices: primùm Reip. cauſâ, quâ nulla res cuiquam potior eſſe debet, vos pro meâ ſummâ, & vobis cognitâ in Remp. diligentiâ moneo:* pro

(8.) *Eraſm. in Prol. ad Chiliad.*
(1.) *Corr. l. 4. c. 47.*

pro Auctoritate Conſulari hortor : pro magnitudine periculi obteſtor ; ut otio, ut paci, ut ſaluti, ut vitæ veſtræ, & cæterorum Civium conſulatis. Virg. Æn. 6.

. . . . Da, non indebita poſco
Regna meis fatis, Latio conſidere Teucros.

Quod ſi per rem ſacram, aut caram fiat Obſecratio : ea vocabitur Adjuratio. Cic. pro Dejot. *Per dexteram te iſtam oro, quam Regi Dejotaro hoſpes hoſpiti porrexiſti : iſtam inquam dexteram, non tam in bellis, & in præliis, quàm in promiſſis, & fide firmiorem.* Virgil. Æneid. 12.

Turne per has ego te lacrymas : per ſi quis Amatæ
Tangit honos animum.

Cum verò veniam culpæ ex imprudentiâ, aliâque neceſſitate commiſſæ petimus : tunc dicitur Deprecatio. Sic Cic. pro Rabir. perduellionis reo : *Vos, Quirites, quorum poteſtas proximè ad Deorum immortalium Numen accedit, oro, atque obſecro ; quoniam uno tempore vita Caji Rabirii hominis miſerrimi, atque innocentiſſimi, ſalus Reip. veſtris manibus, ſuffragiiſque permittitur : adhibeatis in hominis fortunis miſericordiam, in Reip. ſalute ſapientiam, quam ſoletis.*

Optatio eſt (2.) *vehemens alicujus deſiderii ſignificatio vel nobis, vel aliis profuturi.* Hæc ad affectus indicandos valet plurimùm, & ad captandam benevolentiam, voluntatemque declarandam. Sic Cic. pro leg. Man. *Utinam Virorum fortium, atque innocentium copiam tantam haberemus, ut hæc deliberatio vobis difficilis eſſet ; quemnam potiſſimùm tantis rebus, ac tanto bello præficiendum putaretis.*

Virg. Æn. 4.

Felix, heu nimiùm felix ! Si litora tantùm

G Num-

(2.) *Corr. ibid. c. 41.*

Nunquam Dardaniæ tetigiſſent noſtra carinæ.

Imprecatio eſt *execratio quædam, quâ aliquid imprecamur ad indignitatem rei, aut turpitudinem indicandam*. Cic. Epiſt. ad D. Brutum lib. 11. *Dii iſti Segulio malè faciant*. Virg. Ecgl. 9.

Hos illi, quod nec bene vertat, mittimus hædos.

Et Catul. Epig. 3.

At vobis malè ſit, malæ tenebræ
Orci, quæ omnia bella devoratis.
O factum malè! O malæ tenebræ!

Non aliis tantùm mala imprecamur, ſed etiam nobis; ſi quid fidei datæ contrarium egerimus. Hujuſmodi eſt Imprecatio illa Didonis Æneid. 4.

Sed mihi vel tellus; optem, prius ima dehiſcat;
Vel Pater Omnipotens adigat me fulmine ad umbras,
Pallentes umbras Erebi, noctemque profundam;
Ante pudor, quàm te violem, aut tua jura reſolvam.

Caveat tamen Chriſtianus Orator ab ejus figuræ frequentatione; quam in ſcelera, & vitia dumtaxat detorquere, pio homini licebit.

Addunt alii huic loco Indignationem, quæ fit maximè pronunciatione; ut apud Tul. pro Syl. *Fero ego te Torquate, jam dudum fero.*

De Recriminatione, & Reticentiâ.

CAPUT XXXII.

Recriminatio Figura eſt, (1.) *cum in eo ipſo, in quo notamur, culpam in adverſarium retorquemus, & crimen conferimus*. Cic. Philip. 2. *P. Clodium*

(1.) 1. *Corr. ibid.*

um conſilio meo interfectum dixiſti. Quidnam homines putarent, ſi tunc occiſus eſſet; cum tu illum in foro, ſpectante Pop. Rom., gladio diſtricto, inſecutus es; negotiumque tranſegiſſes, niſi ille ſe ſub ſcalas tabernæ librariæ conjeciſſet? Apud Virgil. cum Paſtor objeciſſet Damætæ furtum lactis, retorquet ille in Menalcam crimen turpius. Ecglog. 3.

Infelix o ſemper oves pecus! ipſe Neæram
Dum fovet; ac, ne me ſibi præferat illa, veretur;
Hic alienus oves cuſtos bis mulget in horâ,
Et ſuccus pecori, & lac ſubducitur agnis.
Parciùs iſta viris tamen objicienda memento.
Novimus, & qui te tranſverſa tuentibus hircis
Et quo, ſed faciles Nymphæ riſere ſacello.

Reticentia eſt, (2.) *cum ſermonem interrumpimus; ut ipſa oſtendat affectus*

Vel iræ, ut apud Virg. Æn. 1.

Jam Cælum, terramque meo ſine Numine venti
Miſcere, & tantas audetis tollere moles?
Quos ego.... Sed motos præſtat cõponere fluctus.

Vel minarum Ter. Eun. act. 5. ſcen. 5.

Ego te Furcifer
Si vivo.... ſed iſthuc quidquid eſt, primum expedi.

Vel doloris Cic. Epiſt. lib. 7. 22. *O celeritatem incredibilem! Hujus autem noſtri.... ſed non poſſum ſinè dolore accuſare eum, de quo angor, & crucior.*

Vel verecundiæ. Virgil. Ecgl. 3.

Novimus & qui te tranſverſa tuentibus hircis
Et quo.... ſed faciles &c.

Vel optationis, ut Mneſtheus de ſe apud Virgil. Æneid. 5.

Non jam prima peto Mneſtheus; neque vincere certo.

 (Quam-

(2.) *Quinct. lib. 9. c. 2.*

(Quamquam ob!) Sed ſuperent, quibus hoc
Neptune dediſti.

Vel gravitatis; Demetrius enim inquit: *graviora putantur, quæ latent*. Hujuſmodi eſt illud Juvenalis.

Majorum primus quiſquis fuit ille tuorum;
Aut paſtor fuit, aut illud, quod dicere nolo.

In Comœdiis ſæpè accidit uti Reticentiâ, alicujus Perſonæ adventu. Ita Terent. in Phorm.

Si quis me quæret rurſus .... præſto eſt: deſine.

De Proſopopæja, & Sermocinatione.

CAPUT XXXIII.

PRoſopopæja, quæ a Cornificio dicitur Conformatio: eſt (1.) *cum aliqua, quæ non adeſt, Perſona confingitur, quaſi adſit; aut cum res muta, aut informis fit eloquens, & formata, & ei Oratio attribuitur ad dignitatem accommodata*. Prioris generis eſt apud Cic. pro M. Cæl. ubi Appius cæcus quaſi ab Inferis excitatus inducitur, Clodium compellans. *Exiſtat*, inquit, *ex hac ipsâ Familiâ aliquis, ac potiſſimùm cæcus ille; minimum enim dolorem capiet, qui iſtam non videbit, qui profectò ſi extiterit, ſic aget, & ſic loquetur: Mulier quid tibi cum Cœlio? Quid cum homine adoleſcentulo? Quid cum alieno? Cur aut tam familiaris huic fuiſti, ut aurum commodares; aut tam inimica, ut venenum timeres? &c.* Virgil. Æneid. 2. Hectorem introducit.

.... ultro flens ipſe videbar,
Compellare Virum, & mæſtas expromere voces:
O lux Dardaniæ! ſpes o fidiſſima Teucrûm!
Quæ tantæ tenuere moræ?

Poſte-

(1.) Ad Her. lib. 4. 53.

Poſterioris generis habes ex Tul. 1. in Catil. qui cum eodem Patriam loquentem inducens. *Quæ, inquit, tecum Catilina ſic agit, & quodammodò tacita loquitur. Nullum jam tot annos facinus extitit, niſi per te: nullum flagitium ſinè te: tibi uni multorum Civium neces: tibi vexatio, direptioque ſociorum impunita fuit, ac libera: tu &c.* Lucanus lib. 1. Patriam inducit, quæ Cæſarem a civilibus bellis avocat.

Ingens viſa mibi Patriæ trepidantis imago &c.
Et gemitu permixta loqui: quò tenditis ultra?
Quò fertis mea ſigna Viri?

Huc refertur Sermo ad res ratione deſtitutas, quaſi intelligant; ut in illo veteris Poetæ apud Tull. de Offic. lib. 1. *O Domus antiqua, heu quàm diſpari dominaris Domino!*

Conducit hoc Schemma, tum ad fidem, tum ad motum; ac potiſſimùm in objurgatione, querimoniâ, & miſeratione habet locum.

Sermocinatio eſt, (2.) *cum alicui Perſonæ ſermo attribuitur, & is exponitur cum ratione dignitatis.* Advertendum itaque diligenter, ut ſermo Perſonæ conveniat; illamque loquentem ea introducamus, quæ dixiſſe, cogitaſſe: aut dicere, cogitare potuiſſe non ſit abſonum. Proinde alium ſermonem Viris, alium Fæminis dabimus: aliter Servus, aliter Dominus loquetur. Hinc Cicero Milonem fortiter loquentem inducit, Antonium ſuperbè, improbè Nævium, impudenter Erucium, flagitiosè Verrem. Sic in Orat. pro Roſc. *Cum hoc modo accuſas Eruci, nonne hoc palam dicis? Ego quid acceperim, ſcio; quid dicam, neſcio. Unum illud ſpectavi &c.* Virg. etiam lib. 4. Æneid. inducit Didonem loquentem.

En quid agam? rurſuſne procos irriſa priores

(2.) *Ad Heren. lib. 4. 52.*

Experiar? &c. Iliacas igitur claſſes. &c.

Aliis Sermocinatio etiam vocatur; *cum verum ſermonem recitat Orator; neque hunc unius tantùm; ſed etiam qui inter ſe, & alterum, vel qui inter alios duos fuit*. Sui, & Aquilii ſermonem refert Cic. pro Cæcin. *At ego, cum caſu diebus iis, itineris faciendi causâ, decedens è Provinciâ, Puteolos fortè veniſſem: cum plurimi, & lautiſſimi eſſe ſolent in iis locis: concidi pene, Judices, cum ex me quidam quæſiſſet; quo die Româ exiſſem; & nunquid in eâ eſſet novi? Cui cum reſpondiſſem me ex Provinciâ decedere: etiam mehercules, ut opinor, ex Africâ. Huic ego, jam ſtomachans faſtidiosè, imò ex Siciliâ inquam; tum quidam quaſi qui omnia ſciret; quid? tu neſcis, inquit, hunc Syracuſis Quæſtorem fuiſſe? Quid multa? deſtiti ſtomachari; & me unum ex iis feci, qui ad aquas veniſſent.*

Sermocinatio id præſtat, quod ſi aptè inſtituatur, fidem conciliat Orationi; atque illud genus, quo ſermonem alicui affingimus, valde figuratum eſt; non illud tamen, quod dialogum continet; quia maximè ſimplex eſt rei narratio.

De Figuris ad probandum idoneis.
De Præoccupatione, & Subjectione.

CAPUT XXXIV.

PRæoccupatio eſt (1.) *quædam præmunitio, quâ id quod objici poteſt, occupamus*. Hâc Oratores in quâvis Orationis parte utuntur; & præcipuè Proœmio convenit; ut facit Cic. pro Mil. & pro Roſc. Partes ejus ſunt duæ *Ypopbora*, quæ objectionem proponit; & *Antypopbora*, quæ objectioni reſpon-

(1.) *Quinct. lib.* 9. *c.* 1.

reſpondet. Sic apud Cic. in Orat. pro Cæl. Ypophoram habes in his verbis: *Dicet aliquis: hæc igitur eſt tua diſciplina? ſic tu inſtituis Adoleſcentes? &c.* At paulò poſt ſubdit Antypophoram: *Ego ſi quis Judices robore animi &c.* Apud Virg. Æneid. 4. in illo Didonis Ypophora eſt: *Verùm anceps pugnæ fuerat fortuna*: En Antypophora: *fuiſſet. Quem metui moritura?*

Quædam autem Præoccupationes ſunt breves, ut pro Roſc. Amer. *Quid ergo? audaciſſimus ego ex omnibus? minimè.*

Aliæ cum Conceſſione efferuntur, vel emendatione; poſtquam pronunciatum eſt. Ut apud Horat.

> . . . . *Nunc aliquis dicat mihi: quid tu? Nullanè habes vitia? Imò alia haud fortaſſe minora.*

Sic Virgil. Æneid. 2.

> . . . . *Neque me argolicâ de Gente negabo.*
> *Hoc primùm &c.*

Aliæ cum quâdam præmunitione adhibentur: ut illa, quâ uſus eſt Cic. in Exord. Divin. in Verr. *Si quis veſtrum Judices, aut eorum, qui adſunt fortè miratur, me qui tot annos in cauſis, judiciiſque publicis ita ſum verſatus, ut defenderim multos, læſerim neminem: ſubitò nunc mutatâ voluntate, ad accuſandum deſcendere &c.*

Requirit hæc Figura, inquit Voſſius, (2.) ſingularem prudentiam; ſiquidem videndum eſt Oratori, quæ tacita ſint hominum judicia: quò propendeant animi: quid eos offendat: quid probent.

Subjectio eſt (3.) *cum interrogamus Adverſarios, aut quærimus; quid ab illis, aut quid contra nos* dici

(2.) *De part. Orat. lib. 4. c. 14.*
(3.) *Ad Her. lib. 4. 23.*

dici poſſit; deinde ſubjicimus id, quod dici oportet, vel nobis adjumento futurum, vel illis è contrario obfuturum. Alia perfecta eſt, alia imperfecta.

Perfecta tribus partibus conſtat, nempe *Propoſitione, Remotione, & Concluſione*. Propoſitio habetur in interrogatione, Remotio in reſponſione, Concluſio in fine argumenti. Hujuſmodi eſt illa apud Cicer. Pro Quinct. *Dubitatur, utrum ſit probabilius Sex: Nævium, ſtatim ſi quid deberetur, petiturum fuiſſe: an ne appellaturum quidem biennio? Appellandi tempus non erat? At tecum anno plus vixit. In Galliâ agi non potuit? At in Provinciâ jus dicebatur; & Romæ judicia fiebant. Reſtat, ut aut ſumma negligentia tibi obſtiterit, aut unica liberalitas; ſi negligentiam dices, mirabimur: ſi bonitatem, ridebimus; neque præterea quid poſſis dicere, invenio.* (en Concluſio) *Satis eſt argumenti, nihil eſſe debitum Nævio; quòd tandiu nihil petivit.*

Imperfecta ſubjectio vocatur, in quâ vel Propoſitio, vel Concluſio, vel utraque abeſt. Cic. pro Planc. *Malè judicavit Populus: At judicavit. Non debuit: at potuit. Non fero: at multi clariſſimi, & ſapientiſſimi Cives tulerunt.* Hujuſmodi eſt etiam illa Jobi c. 9. *Si fortitudo quæritur: robuſtiſſimus eſt. Si æquitas Judicii: nemo audet pro me teſtimonium dicere. Si juſtificare me voluero: os meum condemnabit me. Si innocentem oſtendero: pravum me comprobabit.*

Multum ineſt acrimoniæ, & gravitatis in hâc exornatione; ſi inſtituatur potiſſimùm per Anaphoram, & Interrogationem. Ita Cic. de Aruſp. *Tu meam domum religioſam facere potuiſti? Ecquâ mente? quâ invaſeras? Quâ manu? quâ diſturbâras? Quâ voce? quâ incendi juſſeras? Quâ lege? quam ne in illâ quidem impunitate tuâ ſcripſeras? &c.*

De

De Suſtentatione, & Conceſſione.

CAPUT XXXV.

SUſtentatio, ſive *Inopinatum* fit, (1.) *quando aliud expectaverit Auditor: aliud inferat non ſine venuſtate Orator*. Cic. 7. in Verr. *Etiamnunc mihi expectare videmini, Judices, quid deinde factum ſit, quòd iſte nihil unquam fecerit ſinè aliquo quæſtu, atque prædâ? Quid in ejuſmodi re fieri potuit? quod commodum eſt? Expectate facinus, quàm vultis improbum; vincam tamen expectationem omnium. Nomine ſceleris conjurationiſque damnati, ad ſupplicium traditi, ad palum alligati, repente, multis millibus hominum inſpectantibus, ſoluti ſunt, & Leonidæ illi Domino redditi.*

Hoc Schemmate patet etiam jocis facillimus aditus, ut apud Martial. lib. 1. Epig. 6.

Quod convivaris ſinè me tam ſæpè, Luperce,
Inveni, noceam quâ ratione tibi.
Iraſcar; licèt uſque voces, mittaſque, rogeſque.
Quid facies? inquis. Quid faciam? veniam.

Conceſſio, quæ a Græcis *Epitrope*, *& Synchereſis* vocatur, Figura eſt, (2.) *quâ aſſentimur alicui rei, quæ eſt futura pro nobis*. Ea duplex eſt, vel Seria, vel Ironica. Seria convenit confidenti; nam utimur eâ, cum, parte conceſsâ, nihilominùs nos ſuperiores fore confidimus. Cic. pro Roſc. Amer. *Eſto, cauſam proferre non potes: tametſi ſtatim viciſſe debeo: tamen de jure meo decedam; & tibi quod in aliâ causâ non concederem: in hâc concedam, fretus hujus innocentiâ. Non quæro abs te, quarè*

Patrem

(1.) *Tiber. Rhet. de Schem.*
(2.) *Quinct. lib. 9. c. 2.*

Patrem Sex. Roſcius occiderit. Quæro, quomodò occiderit. Virg. Æneid. lib. 10.

. . . . liceat ſupereſſe Nepotem.
Æneas ſanè ignotis jactetur in undis;
Et quacumque viam dederit fortuna, ſequatur.
Hunc tegere, & duræ valeam ſubducere pugnæ.

Ironica verò invidiam conflat adverſario; præſertim quando congeriem habet variorum criminum, quæ concedi non poſſunt. Cic. 5. in Verr. *Quâ in re illud primùm reprehendo, & accuſo; cur in re tam veteri, tam inuſitatâ quidquam novi feceris? ingenio aliquid aſſecutus es? Tot homines ſapientiſſimos, qui illam Provinciam ante te tenuerunt, prudentiâ, conſilioque viciſti? Eſt tuum, eſt ingenii, prudentiæque tuæ. Hoc do tibi, & concedo. Scio te Romæ, cum Prætor eſſes, edicto tuo poſſeſſiones hæreditatum a liberis ad alienos, a primis hæredibus ad ſecundos, a legibus ad libidinem tuam tranſtuliſſe. Scio te edicta ſuperiorum omnium correxiſſe &c.* Apud Virg. Æneid. 4. Dido Æneam irridet:

I, ſequere Italiam ventis: pete Regna per undas.

Conceſſioni plures adnectunt Permiſſionem; eaque fit, (3.) *cum oſtendimus, in dicendo nos aliquam rem totam tradere, & concedere alicujus voluntati.* Cic. 5. in Verr. *Verùm hoc quoque vobis remitto. Negligite præterita, ſi vultis; ſed ne reliquas ſpes turbetis, atque omnes Provincias evertatis.* Virg. Æn. 7.

I nunc: ingratis offer te irriſe periclis,
Tyrrhenas, inſterne acies: tege pace Latinos.

Hoc Schemmatis genus (4.) ad miſericordiam commovendam eſt peraccommodum; nunquam tamen efficacius eſt, ac magis emphaticum, quàm ſi ironicè tractetur: ut ſæpè placuit Ciceroni. Sic pro Mil. *Excitate, excitate eum, ſi poteſtis, ab Inferis:* Fran-

(3.) *Ad Her. lib.* 4. (4.) *Id. ibid.*

Frangetis impetum vivi, cujus vix ſuſtinetis furias inſepulti.

Altera Conceſſionis ſpecies erit Confeſſio, quam ſic Rutilius Lup. definit; *cum plurima adverſario concedimus; deinde aliquid inferimus, quod aut majus ſit, aut jam dicta ſaltem infirmet.* Tale eſt Exordium Orationis pro Rab. Poſthumo, in quo Cicero confitetur crimen, & præceps Rabirii conſilium; dum fortunas, ſeque ipſum Regiæ poteſtati commiſit. Miſcet interdum ea, quibus id ſublevet, & diluat; atque ita hujuſmodi confeſſione Exordium illud totum completur. Idem pro Flacco.

De Correctione, & Communicatione.

CAPUT XXXVI.

Correctio, quæ itidem Emendatio, & Revocatio dicitur, ea eſt, (1.) *quæ tollit, quod dictum eſt; & pro eo id quod magis idoneum videtur reponit.* Fitque triplici modo.

1. *Addendo* Cic. pro Sext. *Cui benedixit unquam Bono? Benedixit? imò quem fortem, & bonum Civem non petulantiſſimè eſt inſectatus?* Terent. Heaut.

> *Filium unicum adoleſcentulum habeo. Ah quid dixi habere me?*
> *Imò habui Chreme. Nunc habeam, necnè, incertum eſt.*

2. *Minuendo* Cic. Philip. 3. *Patrimonium effudit: quamquam non ſumus uſi eo verbo, quo decuit; non enim effudit; ſed in ſalutem Reip. collocavit.* Ovid.

> . . . . . . *ſceleriquæ reſiſtite noſtro;*
> *Si tamen hoc ſcelus eſt.*

3. *Commutando* aut in contrarium ſenſum, aut in

(1.) *Ad Her. lib. 4.*

In verbum ſignificantius. Sic. D. Paul. ad Galat. cap. 6. *Nunc autem cum cognoveritis Deum ; imò cogniti ſitis a Deo : quomodò convertimini iterum ad infirma , & egena elementa, quibus denuo ſervire vultis?*

Altera ſpecies eſt Correctionis , quam Ignorantiam vocant; fitque , *aliquid ex induſtriâ omittendo, ut Adverſario interrogato, ab illo demum moneamur* . Hujus generis eſt illa Cicer. in Verr. 6. *Erant ænea præterea duo ſigna non maxima, verùm eximiâ venuſtate , virginali habitu , atque veſtitu, quæ manibus ſublatis ſacra quædam more Athenienſium Virginum repoſita in capitibus ſuſtinebant . Canephoræ ipſæ vocabantur . Sed earum Artificem quemnam? rectè admones: Polycletum eſſe, dicebant.*

Huc etiam pertinet Revocatio ſui ipſius, ſive Correctio mentis , quæ clarè patet exemplo Cicer. 1. in Catil. *Quamquam quid eſt quod loquar? Te ut ulla res frangat? Te ut unquam corrigas? Tu ut ullam fugam meditere? Tu ullum ut exilium cogites?*

Affinis eſt Correctioni Attemperatio , ſive Circumſcriptio, quæ fit, (2.) *cum modus ſtatuitur ei, quod dictum eſt* ; atque eſt veluti quædam meta appoſita ſententiæ. Talis eſt illa Cicer. pro Ligar. *Nimis urgeo; commoveri videtur Adoleſcens : ad me revertar : in iiſdem armis fui &c.* Virgil. Æneid. 4.

Credo equidem, nec vana fides, genus eſſe Deorum;
. . . . ſi credere dignum eſt.

Formulas Correctionis plurimas apud Cauſinum, & Eraſmum de Verborum copiâ invenies.

Communicatio figura eſt, (3.) *quâ Adverſarium conſulimus, aut cum Judicibus , quid faciendum ſit, quidve factum oportuerit, deliberamus* . Si ad rem facilè

(2.) *Corr. de eloq. lib. 4.* (3.) *Voſſ. lib. 4. c. 14.*

facilè non judicandam, aut conſtituendam adhibetur: ſingularem habet gratiam, & robur. Cic. pro P. Quinct. *Quæro abs te C. Aquili, L. Luculle, P. Quinctili, M. Marcelle: vadimonium mihi non obiit quidam Socius, & Affinis meus, quocum mihi neceſſitudo vetus. Controverſia de re pecuniariâ recens intercedit: poſtulonè a Prætore, ut ejus bona mihi poſſidere liceat? An cum Romæ domus ejus, Uxor, Liberi ſint; domum potiùs denunciarem? Quid eſt quod hâc tandem de re vobis poſſit videri?* Virg. Ecgl. 7.

Quid facerem? Neque ego Alcippem, nec Phyllida habebam,

Depulſos a lacte domi quæ clauderet agnos.

Aliquando Communicationi conjuncta eſt Reſponſio, ſive Expeditio propoſitæ dubietatis. Cic. lib. 9. Epiſt. 26. *Miraris tam exhilaratam eſſe ſeveritatem noſtram? Quid ergo faciam? Te conſulo, qui Philoſophum audis. Angar? Excruciem me? quid aſſequar? deinde quem ad finem? Vivas, inquis in literis. An quidquam me aliud agere cenſes? Haud poſſum vivere; niſi in literis viverem.*

Aptum eſſe hoc ſchemma purgationi, multumque habere probabilitatis fatetur Voſſius (4.) inprimis verò utilem eſſe confitenti, ac refellenti. Nam ſi cum Adverſario communicemus: valebit ad urgendam, atque extorquendam confeſſionem; ſin cum Judicibus, proderit ad eorum animos movendos, qui vident nos in ipſorum æquitate fiduciam noſtram collocare.

De

(4.) *Ibid.* §. 16.

De Aſſeveratione, Frequentatione, & Commoratione.

CAPUT XXXVII.

Aſſeveratio eſt, (1.) *quâ quæ dicta ſunt affirmamus, hæremuſque in propoſito etiam cum jurejurando*; quod accommodatum erit Ætati, Sexui, Conditioni, & Arti. Sic Tull. Philip. 5. *Audebo etiam obligare fidem meam P.C. Vobis Populoque Rom.; quod profectò, cum me nulla vis cogeret, facere non auderem, pertimeremque in re maximâ periculoſam opinionem temeritatis*. Sic apud Virg. Æneid. 6.

Per caput hoc juro, per quod Pater ante ſolebat.

Frequentatio Figura eſt, (2.) *cum res in totâ causâ diſperſæ coguntur in unum, quo gravior, aut acrior, aut criminoſior Oratio fit*. Ut Cic. pro Mil. *Dura mihi mediusfidius jam fortuna populi Rom. & crudelis videbatur, quæ tot annos illum in hanc Remp. inſultare videret, & pateretur. Polluerat ſtupro ſanctiſſimas Religiones; Senatus graviſſima decreta perfregerat; pecuniâ ſe palam Judicibus redemerat; vexârat in Tribunatu Senatum; omnium Ordinum conſenſu pro ſalute Reip. geſta reſciderat; me Patriâ expulerat, bona diripuerat; Cn. Pompejo nefarium bellum indixerat; Magiſtratuum, privatorumque cædes effecerat; domum Fratris incenderat; vaſtârat Etruriam; multos ſedibus, ac fortunis ejecerat; inſtabat &c.*

Aptiſſimum hoc ſchemma eſt in Epilogis; majoremque vim obtinebit, ſi Congeriei miſceatur.

Commoratio eſt, (3.) *cum in loco firmiſſimo, quo tota*

(1.) Corr. *lib.* 4. *c.* 19.
(2.) *Ad Heren. lib.* 4.
(3.) *Ad Heren. ibid.*

tota cauſa continetur, *manetur diutius*, *& eodem ſæpius reditur*. Hoc ſchemmate uti maximè convenit Oratori; ne detur Audienti poteſtas, animum de re firmiſſimâ dimovendi. Cic. pro Arch. *An tu exiſtimas, aut ſuppetere nobis poſſe, quid dicamus in tantâ varietate rerum, niſi animos noſtros doctrinâ excolamus; aut ferre animos tantam poſſe contentionem, niſi eos doctrinâ eâdem relaxemus? Ego verò fateor, me his ſtudiis eſſe deditum; cæteros pudeat, ſi qui ita ſe literis abdiderunt, ut nihil poſſint ex iis, neque ad communem afferre fructum, neque in aſpectum, lucemque proferre. Me autem quid pudeat, qui tot annos ita vivo; ut ab illis nullo me unquam tempore, aut commodum, aut otium meum abſtraxerit, aut voluptas avocârit, aut denique ſomnus retardârit.*

Iſtud ex Tullio exemplum exhibui; licèt Author ad Heren. ſatis idoneum ſubjici non poſſe exiſtimet; *propterea quod*, inquit, *hic locus non eſt a totâ causâ ſeparatus, ſi uti Membrum aliquod; ſed tanquam ſanguis perfuſus eſt per totum corpus Orationis.*

De Antitheſi, & Licentiâ.

CAPUT XXXVIII.

ANtitheſis latinè *Contrapoſitum*, Figura eſt, quæ tum verbis, tum ſententiis expleri poteſt; idcircò in utrâque Figurarum Claſſe illam repoſuimus. Fit autem, *cum contraria contrariis opponuntur*. Cic. in Verr. 6. *Conferte hanc pacem cum illo bello: hujus Prætoris adventum cum illius Imperatoris victoriâ: hujus cohortem impuram cum illius exercitu invicto: hujus libidines cum illius continentiâ: ab illo, qui cæpit, conditas: ab hoc qui conſtitutas accepit, captas dicetis Syracuſas.* Iſaj. adversùs laſcivum fœminarum ornatum. *Et erit pro ſuavi odore*

odore fætor, pro zonâ funiculus, pro criſpante crine calvitium, & pro faſciâ pectorali cilicium. Virg. Æneid. 2.

Flectere ſi nequeo Superos: Acheronta movebo.

Proxima Antitheſi eſt *Oximoron*, quam Tullius contentionem nominat; fitque, *cum ex planè contrariis conſtat Oratio*. Ut apud Cic. pro Quinct. *Plus hujus inopia poſſit ad miſericordiam, quàm illius opes ad crudelitatem.*

Elegantiſſima verò contentio eſt, in quâ paria paribus, contraria contrariis ſæpius reſpondent; ut pro Poſth. *Egentes in locupletes, perditi in Bonos, ſervi in Dominos armabantur.*

Maximè delectat hæc Figura, cum prope oblata eſt, non acceſſita, in fortioribus potiſſimùm animi motibus, atque in vehementiori contentione, ubi Antitheta religiosâ nimis Membrorum diſtinctione non appareant; ſed per Congeriem potiùs, vel alias figuras prolata miſceantur.

Gorgias fatetur hoc ſchemma perutile eſſe, ad exprimendum ex laude vitium, vel contra.

Licentia eſt, (1.) *cum apud eos, quos aut vereri, aut metuere debemus, tamen aliquid pro jure noſtro dicimus, quod eos minimè offendat*. Hujus Oratoriæ libertatis uſus quadruplex eſt.

Prima eſt quædam Licentiæ ſpecies acris omnino, & amarulenta, quâ utitur Cic. pro Dom. ſuâ. *Quarè diſrumpatur licet iſta furia; atque audiat hæc ex me, quoniam laceſſivit. Bis ſervavi, ut Conſul togatus armatos vicerim: privatus Conſulibus armatis ceſſerim. Utriuſque temporis fructum tuli maximum: ſuperioris, quòd ex Senatus auctoritate, & Senatum, & omnes bonos meæ ſalutis causâ mutatâ veſte vidi; poſterioris quòd & Senatus, & Populus*

(1.) *Ad Her. lib.* 4. 48.

lus Rom., *& omnes Mortales*, *& privatim*, *& publicè judicarunt*, *ſinè meo reditu Remp. ſalvam eſſe non poſſe*. Et Virgil. Æneid. 2.

> *Fas mihi Grajorum ſacrata reſolvere jura:*
> *Fas odiſſe Viros, atque omnia ferre ſub auras,*
> *Siqua tegunt. Teneor Patriæ, nec legibus ullis.*

Altera excelſa; ut Cic. in 1. Philip. *Quid de reliquis Reip. malis? Licetnè dicere? Mihi verò licet, & ſemper licebit dignitatem tueri, mortem contemnere.*

Tertia levis eſt, quæ videtur exercere aculeos cum aliquâ acrimoniâ, quam mulcet, & mitigat. Ita Cic. Philip. 9. *Vos P.C. grave dictu eſt, ſed dicendum tamen: Vos inquam Serv. Sulpitium vitâ privaſtis; quem cum videretis, ſe magis morbo, quàm oratione excuſantem: non vos quidem crudeles fuiſtis (quid enim minùs in hunc Ordinem convenit) ſed cum ſperaretis nihil eſſe, quod non illius auctoritate, & ſapientiâ effici poſſet, vehementiùs excuſationi ejus obſtitiſtis; atque eum, qui ſemper veſtrum conſenſum graviſſimum judicaſſet, de ſententiâ dejeciſtis.*

Quarta adulatoria, quæ ſimulat libertatem; cum tamen ea dicat, quæ maximè audientibus arrident. Talis eſt ea pro M. Marcel. *Itaque illam tuam præclariſſimam, & ſapientiſſimam vocem invitus audivi: ſatis te diu, vel naturæ vixiſſe, vel gloriæ; ſatis, ſi ita vis, naturæ fortaſſe: addo etiam, ſi placet, gloriæ. At quod maximum eſt: Patriæ certè parum.*

Cavendum enixè in eo genere Licentiæ, quod acrimoniam continet, reprehenſionem mitigari oportere; ut M. Tull. feciſſe videmus Philip. 7. *Periculosè dico: quemadmodùm accepturi P. C. ſitis, horreo; ſed pro meâ perpetuâ cupiditate veſtræ dignitatis retinendæ, & augendæ, quæſo, oroque vos P. C. ut primùm, ſi erit vel acerbum auditu, vel incredibile a M. Cicerone eſſe dictum: accipiatis ſinè offenſione quod*

dixero ; nève id , priuſquam quale ſit explicavero , repudietis . Ego ille &c. Ubi M. Cicero reprehendit Senatum, qui pacem cum M. Antonio paulò ante hoſte declarato , mutatâ mente, inire vellet. Principio utitur præmunitione, ſe dicturum, ſcilicet retinendæ, vel augendæ ipſorum dignitatis gratiâ: ut ſine offenſione accipiant, petit; atque ita , priuſquam vulnera aperiat , medicamina adhibet.

De Tranſitione, Rejectione, & Digreſſione.

CAPUT XXXIX.

Quas hucuſque exhibuimus Figuras, ad Inventionem potiſſimùm exornandam pertinere, nemo eſt qui non videat. Quæ ſuperſunt, Diſpoſitionem exornare facilè cognoſcemus.

Tranſitio ea eſt, (1.) *quæ cum oſtenderit breviter quod dictum ſit: proponit item brevi, quid ſequatur.* Duplex ea eſſe deprehenditur: *perfecta*, & *imperfecta.* *Perfecta* dicit, quâ de re actum ſit, & quid ſequatur. *Imperfecta* alterutrum tantùm facit. Exempl. Tranſitionis perfectæ habes apud Tull. Philip. 7. *Satis multa de turpitudine . Dicam deinceps , quod propoſui, de periculo.* Et Virg. 2. Georg.

Hactenus arvorum cultus, & ſydera Cœli:
Nunc te Bacche canam.

Imperfectam exhibet Tull. pro Roſc. Amerino: *Age nunc illa videamus Judices, quæ conſecuta ſunt.* Et apud Saluſt. in Jugurthâ: *De Africâ & ejus Incolis ad neceſſitudinem rei ſatis dictum.*

Tranſitio perfecta quædam eſt *Continua* , quædam *Interciſa* . Quæ *continua* eſt, nihil inter repetitionem

(1.) *Ad Heren. lib. 4.*

titionem dictorum, & dicendorum propoſitionem interponit; ut pro leg. Manil. *Quoniam de genere belli dixi: de magnitudine pauca dicam.* Interciſa eſt, cum longior Oratio interponitur; ut 5. in Verr. *Verùm huc longiùs, quàm voluntas fuit ab Epiſtolâ Timarchidis digreſſa eſt Oratio mea; quâ recitatâ, concluſurum me eſſe crimen Decumarum dixeram; ex quo intellexiſtis innumerabilem frumenti numerum per triennium averſum à Rep. eſſe, abreptumque ab aratoribus. Sequitur, ut de frumento empto vos Judices doceam, maximo, atque impudentiſſimo furto; de quo, dum certa, & pauca, & magna dicam breviter, attendite.*

Utimur Tranſitione cum Oratio plura habet capita; nec tantùm Orationi perſpicuitatem affert: quod Hermogenes obſervat; ſed etiam utilis eſt ad attentionem parandam; quia Auditoris animus reficitur, & memoria.

Variatio, & Tranſitus ſub hâc exornatione comprehenduntur, *cum ab unâ ad aliam Perſonam fit gradatim tranſitio, additis rationibus, & affectibus permutatis.* Ut pro Mil. M. Cicero Milonem loquentem facit; deinde ad ipſum Milonem orationem flectit: paulò poſt ad Judices: poſt pauca ad milites ſe refert, & eorum implorat auxilium; mox ad ſuam regreditur Perſonam; denique ad ſuos Liberos, & Fratres.

Rejectio eſt, *cum aliquid vel ſimpliciter ab Oratione removetur, vel in alium locum, ac tempus rejicitur.* Refellenti in primis convenit aliquid ab Oratione removere; præcipuè verò ſi quid videatur vel leve, vel nugatorium, vel per ſe planum, apertumve, vel odioſum, quodque in ſuſpicione relinqui, quàm manifeſtè dici, ſatius ſit; vel denique alienum, nec minimè pertinens ad proprium inſtitutum. Illud autem quod in commodio-

rem locum reſervatur, ad orationem perſpicuam reddendam apprimè conducit. Utrumque utique genus præſtat; ne quid utile, aut neceſſarium omiſiſſe videamur.

Prioris generis exempl. habes pro Poſth. *Quid ego Senatum defendam hoc loco Judices? Omni equidem loco debeo: ita de me meritus eſt ille Ordo. Sed id nec agitur hoc tempore; nec cum Poſthumi causâ res iſta conjuncta eſt*. Alterius generis exempl. ſumes pro leg. Manil. *Sed de Lucullo dicam alio loco; & ita dicam, Quirites, ut neque vera laus ei detracta oratione noſtrâ, neque falſa affiзta eſſe videatur*.

Digreſſio eſt *alicujus rei, quæ tamen ad cauſæ utilitatem pertineat, extra Ordinem excurrens tractatio*. Hæc tamen a causâ Digreſſio non fit temerè, neq. ubique; ſed quæ cohæreat cum ſuperioribus; ita ut ultro ſequatur: non erumpat vi. Nihil enim Orationi inſerendum, quod cauſam non adjuvet, vel non exornet. Digredimur verò.

1. Amplificationis causâ. Sic Cic. 3. in Verr. excurrit in locum communem, exaggeraturus Verris perfidiam in Conſ. Carbonem. *Etenim ſi hæc perturbare omnia, & permiſcere volumus: totam vitam periculoſam, infeſtamque reddemus &c.*

2. Ad exprobrandam ingrati animi notam. Cic. ibid. *Tu cum Quæſtor ad exercitum miſſus ſis: Cuſtos non ſolùm pecuniæ, ſed etiam Conſulis, particeps omnium rerum, conſiliorumque fueris: repente relinquas? deſeras? & ad Adverſarios tranſeas? Ob ſcelus! ob portentum in ultimas terras aſportandum!*

3. Ad excitandam invidiam; ut apud Cic. in Verr. 2. ubi explicat conſilia Verris, & amicorum de corrumpendo judicio.

4. Ad conciliandam Judicum, & Amicorum benevolentiam, ut in Orat. pro Poſth. explicatis Cæſaris in eum beneficiis.

5. Ad

5. Ad Auditorum animos ad cauſam parandos; ut in Verr. 4. ubi Cicero initio digreditur, ad laudandam Siciliæ Provinciam.

6. Ad miſerationem commovendam, ut in Verr. 3. de ſupplicio ſumpto de Philodamo Lampſaceno, & de ejus filio Laodiceæ.

Aliquando tandem ad explicandas fabulas; ut in Verr. 6. de raptu Proſerpinæ.

In Exordiis digreditur Cicero contra Rullum: pro Murenâ: pro Cluentio.

In Narrationibus pro Quinctio, ubi Auditores nunc excitat, nunc monet; & pro Roſc. Amerino.

Poſt Narrationes in eâdem pro Roſcio in. Chryſogoni factum, facto Fimbriæ commemorato: Pro Milone: Pro Cluentio: Pro Quinctio.

Poſt ſingula argumenta pro Roſc. Amer; ubi ad levandos Judices egreditur; dum Accuſatores cum canibus Capitolii, & anſeribus comparat.

Quod ſi Digreſſio ſit longior: in fine admoneamus Auditores, ne putent nos imprudenter aliud agere; & ad propoſitam materiam redire, ſignificemus. Id Cicero exequitur poſt longam digreſſionem factam in 6. contra Verrem.

Unum eſt Digreſſionis genus, quod M. Tullius *Inductionem in errorem* vocat; & fit, quoties a re propoſitâ animum Auditoris abducimus; pollicemur tamen, ad rem ſuo loco, & tempore nos accommodatè dicturos; interim autem aliam rem cogitandam animis Auditorum objicimus; ut illâ cogitatione occupatos a re nobis contrariâ avocemus. Exempl. hujus Digreſſionis habemus in Cic. pro M. Cœlio, ubi cum reſponſurus eſſet crimini, quod Cœl. objiciebatur, eundem videlicet venenum habuiſſe domi paratum: digreſſus eſt ad mortem Metelli; ſuſpicionemque facit Clo-

dii ſcelere: ipſam mortem gemitu, & lacrymis proſequitur; ſimulque reprimit Adverſarios, veluti ſimili vulnere percuſſos; & dictionis vi, & perturbatione Judicum animos ab hujus criminis cogitatione avertit.

De Chriâ.

CAPUT XL.

Expoſita ſuperiùs Schemmata in Orationis ſtructurâ, ac diſpoſitione mirificè elucent. Ne verò difficili admodùm operi intempeſtivè manum admoveant Adoleſcentuli; ac tenera eorumdem ætas ſupra vires ingenii gravetur: invènit Aphtonius quoddam oratoriæ exercitationis genus, quod *Chria* græcè vocatur; in quo figurarum omnium vim experientes, ad majora ſenſim aſſurgant, & perfectum elaboratæ Orationis opus conficere, paulatim ediſcant. *Non enim* (inquit Fabius lib. 2. cap. 4.) *in Pueris Oratio perfecta exigi, nec ſperari poteſt. Hinc ipſis Doctoribus hoc eſſe curæ velim, ut teneras adhuc mentes more nutricum alant. Erit illud plenius interim corpus, quod mox àdulta ætas adſtringat.*

Chria igitur definitur: *Brevis alicujus dicti vel facti commemoratio certis capitibus amplificanda.*

Triplex Chriæ genus a Quinctiliano admittitur: Verbale, Activum, & Mixtùm. (1.)

Chria Verbalis eſt *alicujus ſententiæ a vulgari hominum ſenſu remotæ explicatio*. Hujuſmodi eſſet dictum illud Virgilii.

. . . . Labor omnia vincit
Improbus, & duris urgens in rebus egeſtas.

Chria

(1.) *Lib. 9. c. 1.*

Chria activâ eſt, *quæ in aliquo præclarè facto verſatur*. Ex. gr. Crates, cum indoctum Puerum vidiſſet, Pædagogum ejus percuſſit.

Mixta denique, quæ *utrumque complectitur*, *&* *dictum*, *&* *factum*. Tale eſt illud Diogenis, qui Adoleſcentem conſpicatus petulantem: pulſavit Cuſtodem, ſic inſuper ajens: *Cur tu ad hunc modum inſtitutis?*

Utile quidem hujuſmodi Adoleſcentibus exercitium, quod Libanius præ cæteris laudat, & cujus plurima disertè affert exempla. Hoc etenim Tyrones ad juſtæ, perfectæque Orationis methodũ manu ducuntur, & fæcundiores fiunt; adeòut aliqua invenire, ac diſponere per ſe audeant.

Artificium, quo Chria certis in partibus diſtincta diſponitur, idem Aphtonius inſtituit. Primum illius laudes, cujus eſt dictum, vel factum, exponantur; quæ Exordii locum teneant. Deinde elegantiori ſtylo alterutrum amplificetur; ad quod plurimùm conferent figuræ ad exornandum idoneæ. Præterea argumenta è locis communibus eruantur, quæ jam expoſitum confirment; eaque plura ſint; & pluribus figuris adumbrata, dilatentur. Tum a contrariis ratio educatur, quæ allata argumenta magis conſolidet; oculiſque ſubjiciat incommoda, quæ ex adverſo naſcuntur. Item ſimilitudo aliqua apponatur, quæ afferat probationibus lucem: & jucunditatis, ſublimitatiſque gratiâ collocetur. Inſuper unum, vel alterum exponatur exemplum ad rem, de quâ agitur, accommodatum; quod, ſi recentius ſit, & magis notum: animos magis etiam movebit; ſi autem vetus: majeſtatem quamdam, atque auctoritatem majorem præſeferet. Demum probati Viri teſtimonium, qui idem, vel aliud ſimile dixerit; advocetur. Noviſſimè verò fiat breve totius

Chriæ compendium, quo vel jam dicta paucis recolligantur: vel ſententiam, aut factum repetendo, cohortatione aliquâ concludatur; quam qui audierint, ad peculiarem virtutis ſpeciem incitentur.

Quamvis Aphtonius octo præſcripſerit conficiendæ Chriæ capita: (1.) ea tamen, inquit Gallo, licet minuere, eorumque ordinem perturbare. Quid enim obeſt Exemplum V. g. Similitudini anteponere, vel etiam alterutrum omittere. Imò cum Chria ſit quædam Orationis ſpecies: jiſdem non ſemper legibus concluditur; ſed laudabilius eſt, ſi varietur; ne ſatietatem pariat eadem ejuſdem ſemper Methodi ratio.

De Triplici Charactere dicendi.

CAPUT XLI.

SAtis Tyronem in jis, ad quæ generalia Elocutionis præcepta referuntur, condocefecimus. Nunc ea pertractanda aggredimur, quibus ſpeciatim oſtenditur, quomodò pro diverſâ materiâ, varioque animi motu varietur etiam Elocutionis genus, ſive dicendi Character. Quod verò de hujuſmodi Charactere, ejuſque affectionibus dicemus: deſumptum potiſſimùm eſt ex aureo Demetrii libello *de Eloquentiâ* inſcripto.

Triplex Characteris genus a triplici Oratoris munere promanans cum M. Tullio admittimus. Sicut enim illius eſt docere, conciliare, & movere: ita triplicem dicendi formam exiſtere, neceſſe eſt. *Humilis* erit ad docendum: *Sublimis* ad movendum: ad conciliandum *Mediocris*, ſive *Æqualis*.

Dicendi

(1.) *Rhet. lib. 5. cap. 16.*

Porro dicendi forma, ſeu Character eſt *Orationis conformatio rebus, ac Perſonis accommodata*. Hæc a cæteris dicentem diſtinguit; & in præcipuo quodam lumine aptam rebus Orationem collocat. Curandum itaque in primis eſt, quid magis cuique rei conveniat, ſciatque Orator (1.)

Publica privatis ſecernere, ſacra prophanis.

ut enim, inquit Longinus, ſi veſtem imperatoriam, & triumphalem Fæminæ accommodes, non rectè feceris, perindè ac ſi muliebrem ſtolam forti Viro circumponas: ita ſi rerum naturam in dicendo non ſpectes, neque prudenti utaris judicio: tunc (2.) *Spiſſæ riſum tollent impunè coronæ*.

Sublime dicendi genus admittitur ut plurimùm in Epilogis, in gravibus Orationibus, ut apud Tull. pro Rab. pro Mil. pro Piſ. pro Dejot. in Catil. primâ; aliiſque quampluribus. Poemata etiam ſublimi charactere conficiuntur. Tragediæ quoque, atque Compoſitiones lyricæ &c.

Genus temperatum habet locum præcipuum in Diſſertationibus eruditis, in ſacris Concionibus, in deſcribendis Hiſtoriis, atque in orationibus Deliberativis, & Encomiaſticis. Hujuſmodi ſunt pro leg. Manil. pro Corn. Balb. poſt redit. in Senatum &c. Denique in Præfationibus, ceteriſque dictionibus, quæ ornamentum quidem, & modulamen Periodi, non verò motum expoſtulant.

Humilis demum Character adhiberi ſolet in illis Orationis partibus; quæ cauſam agunt levem, & ad informandum potiùs, quàm ad movendum inſtructam. Eodem utimur in Dialogis, & Epiſtolis familiaribus, in Comædiis, in tradendis præceptis, atque in Philoſophorum Diſputationibus: Mi-

(1.) *Hor. de art. poet.* (2.) *Ibid.*

Cæterùm miſcenda ſunt tria hæc dicendi genera, cum quibus germana Eloquentia arctiſſimo quaſi neceſſitudinis vinculo colligatur. Sic eadem Oratio, eadem Hiſtoria, idemque Poema variâ dictione, varioque Charactere conſtabit, ut eloquens dicatur, nam, inquit Tullius, (3) *is præditus Eloquentiâ eſt, qui humilia ſubtiliter, & magna graviter, & mediocria temperatè poteſt dicere*. Et licèt ex Tullianis Orationibus alias diximus ſublimi, alias temperato conſtare Charactere: id intelligendum eſt de majori illius Orationis parte, cujus materia ſic poſtulaverit.

Singuli Characteres, habent oppoſita ſibi vitia, quæ ſunt *Forma frigida* ſublimitati contraria. *Forma fluctuans*, quæ ſtylo opponitur temperato; & *Forma arida* ex tenui ſtylo perperam pertractato reſultans. Sicuti de quolibet ſtyli genere: ita de ſingulis ejus vitiis aliqua ſpeciàtim èdiſſeram.

De Charactere ſublimi, & Vitio oppoſito.

CAPUT XLII.

SUblimis Character eſt, (1.) *qui conſtat ex verborum gravium leni, & ornatâ conſtructione*. Conficitur autem *ſententiis, locutione, & verborum conſtructione*.

Sententiæ magnificentiam & ſublimitatem præſeferant. Si explicetur V. g. magna, atque illuſtris aliqua ſive navalis, ſive terreſtris pugna; item ſi de Diis, Regibus, Pontificibus. vel de magnanimè geſtis, de victoriâ &c ſermo habeatur: hæc ſicuti ſublimia ſunt, ita ſublimiter dicantur, neceſſe eſt.

Locu-

(3. *De Orat.* l. c. 29. (1.) *Ad Her. lib.* 4.

Locutione elevabitur Oratio verborum elegantiâ, & dignitate. Ad elegantiam pertinent

1. Vocabula juncta: dummodò a Dythirambicis caveas; ſed ſimilia eliges his duobus, nempe *Legiſlator*, *Reſpublica &c.* At ſuus in jiſdem ſit modus; ne nimiâ frequentiâ, pluſquam oporteat, hanc vocum colligationem affectes.

2. Voces ſolutę V. g. *Poſtea verò quàm*, pro Poſteaquàm. *Maximo te operè*, pro Maximoperè. Denique ubi vulgò in uſu ſint ſoluta verba: nos junctis utemur; quod ſi juncta magis conſuetudine probentur: nos ſoluta præponemus.

3. Sapiens quædam novi nominis fabricatio, quam Græci *Onomatopythenta* appellant; hâc tamen lege, ut quæ finguntur, plana ſint, jiſque ſimilia, quæ ſunt in uſu; ne fiat Oratio obſcura, & monſtruoſa.

4. Poetica verba, ſive loci Poetarū, qui ſi Orationi interferantur, Characteris ſublimitati inſervient. Non autem ſufficit Poetæ verba tranſponere; ſed ita imitandus Poeta, ut aliud dicere videamur.

Fabius ad ſtyli magnitudinem obtinendam, optimè conferre docet verba etiam vetuſta; non ea tamen, quæ ab ultimis, & obliteratis temporibus ſint repetita; illaque etiam non crebra ſint, non affectata.

Ad Dignitatem ſpectant Tropi, & Figuræ (2.). E' Tropis grandem efficiunt Characterem in primis Translationes, quæ vitiis careant ſuperiùs cum de Metaph. notatis. Deinde Allegoriæ, quæ magis ſunt terrori accommodatæ. Crebræ verò non ſint Translationes, neque obſcuræ nimis Allegoriæ.

E Figuris magnitudinem gignentibus efficaciores

(2.) *Long. de Sublim.*

tes fortaſſe erunt Repetitio, Conjunctio, Contrapoſitum, Gradatio, Apoſtrophe, Interrogatio, Exclamatio, Epiphonema, & Reticentia; namque ea quæ non dicuntur, maxima videntur.

Verborum conſtructione fiet magnifica Oratio, ſi Juncturam, Ordinem, Numerum, & Periodum obſerves. Junctura partim vocales, partim conſonas reſpicit. Vocalium concurſus hoc in Charactere nec immodicè ſectandus; ne Orationem diſſolvat; nec uſquequaque fugiendus; ne Oratio quaſi muta ſit, atque expers ejus ſuavitatis, quæ jis junctis exoritur. Conſonis utere ad aſperitatem, vehementiamque oſtendendam; ut ſunt ea verba Xerxes, Parricida &c.

Ad Ordinem requiruntur in primis frequentes Conjunctiones, quæ tamen non temerè orationem inferciant. Item poſteriori loco quæ magis ſunt illuſtria ponantur; ne a validiori decidiſſe videamur ad infirmius.

In Numero plurimùm conferent ad hujuſmodi ſtylum Pæones, Dactili, ac ſimiles pedes; Jambi verò, & Trochæi evitentur.

Periodi denique ſint, quæ membris conſtent longioribus. At brevibus etiam utere tanquam telis; ſi objurgandum, minandum, & deterrendum erit.

Sublimis dicendi generis candori plurimùm officit vitium illud ei affine, quod dicitur *Forma frigida*; quæ tunc habetur, cum nimis hyperbolicæ ſententiæ ſunt, ut apud Senec. Herc.

> . . . . *Quid tamen nectis moras?*
> *Numquid timemur? Nunquid impoſitum ſibi*
> *Non poterit Atlas ferre cum Cælo Herculem?*

Item ſi de parvis rebus, tanquã de maximis loquamur. Si vocibus utamur peregrinis, ac Epithetis intempeſtivis; ut cum Alcidamus dixit, *humidam ſudo-*

ſudorem: & Accius in Meleagro. *Non hercalè Apluda* (3.) *eſt hodiè, quàm tu nequior*. Si Metaphoris indecorè tranſlatis, quales ſunt a Cornificio rejectæ: *Montes belli fabricatus eſt*: *Campos ſuſtulit pacis*. Denique naſcitur ſtyli frigiditas ex Compoſitione; cum ſcilicet vel eſt Numeri planè expers, vel nimis Numeroſa; ut ſi verſus non latentes ponantur continui.

De Tenui Charactere, & Vitio oppoſito.

CAPUT. XLIII.

HUmilis Character dicitur, (1.) *qui ad uſitatiſſimam uſque puri ſermonis conſuetudinem deprimitur*. Hujus ſententiæ erunt exiles, ut de *Caſâ*, *Agello*, *Oppido*, *&c.*

Locutio erit perſpicua, pura, probabilis: fugiet verba duplicia: non quæretur de induſtriâ coagmentatio. Moderatæ erunt Tranſlationes, illæque frequentiores, quas quotidiana exhibet conſuetudo. Eas uſurpabimus figuras, quæ magis ſunt populares; adeòut nihil a vulgari more dicendi Oratio videatur differre; cum tamen plurimùm reipsà differat. Denique Tenue hoc dicendi genus res accuratè exponat: acutè expendat: ſales admiſceat; ornare autem, & colligare verba vix curabit diligenti quadam negligentiâ.

In Compoſitione Genus iſtud vitabit Syllabarum longarum concurſum; nec magnoperè in conſtructione periodi laborabit. Verba ita collocabuntur, ut concinnitatem efficiant; & tamen tenuis Orator, ut voce eſt, ita erit Oratione ſuppreſſior.

Hujus

(3.) *Ideſt furfur frumenti*
(1.) *Ad Heren. lib.* 4.

Hujus Characteris exemplar habes apud Virgil. in Ecgl. *Quo te Mœri pedes?* & Æneid. 6. ubi de ludis agit. Adoleſcentes verò, nimiùm ne huic Generi aſſueſcant; facilè enim fiet, ut aſſurgere pro tempore neſciant. Ita factum refert Cicero, (2.) ut *Demoſthenes ferè ſublimis poſſit ſummiſsè dicere: elatè Lyſias, humili aſſuetus, fortaſſe non poſſet*. In Phædri fabulis hujus ſtyli exempla paſſim invenies.

Tenui Characteri, quod vicinum eſt vitium, dicitur *Forma arida*. In id ſæpè incidunt, qui inflatum ſtylum fugientes, eò deveniunt religionis, ut omnibus Orationem ſpolient ornamentis; quod de Catone illo refert Cicero, (3.) *qui in eâ fuit hæreſi, quæ nullum ſequitur florem Orationis*. *Compoſitione* iſtud præcipuè vitium enaſcitur: ut ſi crebra fuerint Inciſa; qualia in Hipocratis Aphoriſmo: *Vita brevis: ars longa: occaſio præceps: experientia fallax: judicium difficile*. Item, ſi cum de re grandi dicamus, periodo utamur poſtremâ ſui parte truncatâ. Sic qui Ariſtidem cognomento *Juſtum* accuſabat; quòd profectus non eſſet ad pugnam Salaminam: *Atqui* (inquit) *Ceres ſuâ ſponte venit, & nobiſcum pugnavit; Ariſtides autem non*.

De Temperato Charactere, & Vitio oppoſito.

CAPUT XLIV.

Temperatus dicendi Stylus is eſt, (1.) *qui mediam inter tenuem, & magnificum obtinet naturam, nec valdè effert argumenta, quæ tractat, nec minimum deprimit*: ſed uno tempore, ait Cicero,

(3.) *In proœm. Parad.* (1.) *Voſſ. lib. 5. c. 5.*

cero, (2.) in dicendo fluit, nihil afferens præter facilitatem, & æqualitatem; omnemque orationem ornamentis modicis verborum, ſententiarumque diſtinguit. Hinc teſte Fabio (3.) tranſlationibus crebrior eſt, figuris jucũdior, egreſſionibus amœnus, compoſitione aptus, ſententiis dulcis, lenis planè, ut lucidus quidam amnis, & virentibus utrinque ſylvis inumbratus. Si hujus temperati Characteris exemplum deſideres, vide illud apud Virgil: lib: 1. Georg:

Sæpè etiam ſteriles incendere profuit agros,
Atque levem ſtipulam crepitantibus urere flãmis;
Sive inde occultas vires, & pabula terræ
Pinguia concipiunt; ſive illis omne per ignem
Excoquitur vitium, atque exſudat inutilis
humor &c.

Finitimum huic Characteri vitium eſt *Forma fluctuans*, de quâ ſic Auctor ad Heren: (4.) *Qui mediocre Genus Orationis profeſſi ſunt: ſi pervenire eò non poterunt: errantes perveniunt ad confine genus ejus generis, quod appellamus fluctuans, & diſſolutum; eò quod ſinè nervis, & articulis fluctuat huc illuc; nec poteſt confirmatè, neque viriliter ſe ſe expedire.* Tale videtur in præſens Epig. 55. Catulli, cui facilè tempus aliqua abſumpſit, quæ æquabilem illius formam præſeferebant.

Othonis caput oppidò eſt puſillum,
Subtile, & leve peditum Libonis;
Sed non omnia diſplicere vellem
Tibi, & Fuſetio ſeni recocto.
Iraſcere iterum meis jambis
Immerentibus unice Imperator.

Hujuſ-

(2.) *In Orat. c. 26.* (4.) *lib. 4.*
(3.) *lib. 12. c. 10.*

Hujuſmodi igitur vitium cum toto Orationis curſu ſe ſe promat; nuſquam tamen clariùs apparet, quàm in Tranſitionibus, nervíſque, & articulis Orationis, in quibus cum peccatur: totum orationis corpus lentum fit, & diſſolutum.

De Cæteris Dicendi Characteribus.

CAPUT. XLV.

QUinctilianus, aliique quamplures alia afferunt dicendi genera; eaque dividunt in *Atticum*, *Aſiaticum*, & *Rhodium*. Omnium venuſtiſſimum habebatur Atticum, quod in florentiſſimâ Athenarum Urbe viguit; atque erat ſtylo eleganter quidem incedens, & fortiter urgens rationibus: ſalſum item, & perſpicuum; nihil verò artis glorioſè oſtentabat. Hinc Cicero (1.) eos refellit, qui ſe nomine ſiccitatis, quaſi de meliori notâ Atticos commendabant. Hinc ex Tacito, atticè dicere, non eſt ſiccè dicere; alioquin Atticus non fuiſſet Pericles, qui tonare, fulgurare, permiſcere dictus eſt Civitatem.

Aſiaticum genus erat perpingue, & redundans inutili verborum congerie refertum: turgidum quidem in verbis, & ventoſum; parum tamen habens roboris, & ſucci, quo peccaſſe ajunt Gallenum.

Rhodium quoddam genus erat medium inter hæc duo, neque perpingue; neque perſtrictum; non tamen Attico nobilius, & ſuavius.

Ultimò Laconicum genus erat perſtrictiſſimum a Laconiâ Urbe Græciæ dictum, quo paucis plura intelligebantur; ut ſunt Adagia, Paræmiæ, & ſenten-

(1.) *De optim. Orat.*

tentiæ quædam, quas lingua quælibet ſibi habet proprias. Hæ perſtrictæ ſententiæ Laconiſmi dicuntur.

De Venuſtate Orationis.

CAPUT. XLVI.

INter dicendi Characteres *Venuſtatem* etiam, & *Gravitatem* enumerat Demetrius, cui non arridet Voſſius, qui utramque veluti Characterum affectiones admittit.

Venuſtas Orationis duplex eſt *Levior* una, & Gravior altera. Levior in jocis conſiſtit, qui magis Comœdiis conveniunt, & quibus Ariſtophanes, & Plautus apprimè abundant. Hujuſmodi eſt ſcomma illud Lyſiæ in amatorem Anus, dum dixit, quod *proclivius erat numerare ipſius dentes, quàm digitos*.

Gravior eſt duplex. Prior enim ad *Dignitatem*, Poſterior ad *Exacerbationem* pertinet. Quæ ad Dignitatem, Epicis Poetis valdè eſt familiaris. Sic Virg. Æne. 4. Didonem venuſtè comparat Dianæ. Quæ ad Exacerbationem, Tragædiis maximè convenit: licèt adſint apud Homerum etiam exempla, ut in Odiſſ. ubi Cyclops ait: hoc hoſpitale munus habiturum Ulyſſem, quòd poſt ſocios ſit devorandus; quo lepore nihil crudelius.

Venuſtatis materia ſunt horti, hymenæi, amores, convivia, Choreæ &c. vel res aliqua ſuapte naturâ odioſa. Ita Xenophon in invenuſto homine Aglaitida venuſtatem invènit, cum dixit: *Citiùs ex eo ignem, quàm riſum elici poſſe*; Vel res per ſe venuſta, ſi dicendo fiat venuſtior; ut apud Virg. Ecgl. 2. ubi venuſtam florum congeriem venuſtiorem reddit pulchrâ hâc diſtributione.

. . . . . . *Tibi lilia plenis*
Ecce ferunt Nymphæ calathis : tibi candida Nais
Pallentes violas, & ſumma papavera carpens
Narciſſum , & florem jungit bene olentis Anethi .

Venuſtatis forma ſunt *Elegantia*, & *Dignitas* . Prior verba admittit juncta, ac Dythirambica: ut in illo Pub. Syri Mimi

Pietaticultrix , gracilipes , Crotaliſtria
Avis exul hyemis .

Item verba novata ; cujuſmodi ſunt illa apud Svetonium : *vapidè ſe habere* pro malè : Sive verba hauſta è plebe , ſed tempeſtivè uſurpata ; qualia habet Plutarchus , maximè cum ſervos loquentes inducit.

Poſterior amat è Tropis Metaphoram , Hyperbolem , Allegoriam : è Figuris Verborum Repetitionem , Conduplicationem , & Contrapoſitum: è Figuris ſententiarum Exemplum, Similitudinem, Correctionem , & Suſtentationem .

Quod ad Periodum denique, & Numerum, magis arrident membra paria ; & verſibus aliquando uti poſſumus vel integris , vel dimidiatis ; adeò tamen ut a nemine deprehendantur . Sic Cic. init. Orat. pro Arch. *In quâ me non inficior mediocriter eſſe verſatum* : ubi totus eſt hexameter . Si fortè alicujus Poetæ verſus inſtar Emblematis quandoque inſeratur: erit venuſtior Oratio .

Cavendum , ne cum Venuſtis Ridicula confundantur ; diſcrepant enim inter ſe

1. *Materiâ* ; cum quæ naturâ venuſta ſunt , non rideantur ; quæque rideantur , habeant deformitatem ſinè decore ; nec pariant admirationem .

2. *Dictione* , quæ in Venuſtis eſt pulchra : in Ridiculis admodùm vulgaris .

3. *Fine* ;

3. *Fine*; quia illic eſt Delectatio, & laus: iſtic riſus.

4. Denique *loco*; quia in Tragędiis Venuſta eſſe poſſunt; nunquam verò Ridicula.

De Gravitate Orationis.

CAPUT XLVII.

GRavitas in Oratione appellatur a Voſſio, *quæ orationem moleſtam, acerbamque conſtituit.* Hujus itaque ſententiæ aceto plenæ erunt, & quæ quaſi ab exulcerato corde ferantur; quæ ſi jocos admittent: eos duntaxat, qui amarulentiam involvant.

Verba ſint potiſſimùm compoſita; eaque eligantur, quæ magis habeant aſperitatis.

Schemmata erunt ſeligenda, quæ ſint minùs venuſta, quæve magis perſtringant: ut Diſſolutio, quam Demetrius Phal. Opificem vocat Gravitatis. V. g. *Ambulat per forum buccis inflatis, ſublatis ſuperciliis, æqualiter vadens Pythocli.* Si hæc copulata fuerint conjunctionibus, mitiora erunt. Pariter Duplicatio; iteratum enim verbum Gravitatem efficit. Sic Præteritio, quâ Orator dicit quæ vult, & ſe omittere illa ait: ut cui reſtarent alia dicenda multò amariora. Proſopopæja, Perculſio, & crebræ Interrogationes. Contraria autem Contrariis oppoſita fugienda ſunt; tumorem ſiquidem efficiunt, aut frigus, non Gravitatem. Similitudines quoque evitentur; Pulchritudo etenim, & exquiſita quædam ars in his perſpicitur; Gravitas verò vehemens quid eſſe vult, & conciſum, & cominùs percutientibus ſimile. Quapropter in compoſitione amat juncturam Vocalibus hiulcam, Conſonantibus aſperam; & in extremâ Periodi

parte collocet, quod maximè acerbum, indignumque eſt. Crebra ſint inciſa, velut in Aphoriſmis; Periodique breves; longitudo enim diſſolvit impetum; & multum in pauco apparens gravius eſt. Exemplum eſt illud Lacædemoniorum ad Philippum: *Dyoniſius Chorinti*. Quod ſi dixiſſent: Dyoniſius amiſſo Principatu, Chorinti mendicus vivit, docens literas: Narratio fuiſſet fermè potiùs pro convicio. In fine autem Periodos adhibe adſtrictas, contortaſque.

Cum de aliquo graviter dicere, tutùm fortaſſe non ſit; vel ambiguè loquimur, vel mutamus Perſonam, tum vituperando ſimilem, tum laudando diſſimilem; vel denique universè dicimus, quid fieri ſoleat, vel debeat; ni fortè amicitiam ſimulantes, per Subjectionem interrogemus; ut ingenuam eliciamus confeſſionem.

Gravis Orationis exemplum legas apud Virg. lib. 4. Æne. ubi Dido ſic in Æneam invehitur.

Nec tibi Diva Parens, generis nec Dardanus Auctor
Perfide! ſed duris genuit te cautibus horrens
Caucaſus, hyrcanæque admôrunt ubera tigres.

De vitiis Venuſtati, & Gravitati oppoſitis.

CAPUT XLVIII.

Vitium Venuſtati oppoſitum dicitur *Cacozelum*, ideſt *prava imitatio*, quam Quinctil. malam affectationem interpretatur. Hæc pariter gignitur *Sententiâ*, *Locutione*, & *Compoſitione*.

Sententiâ quidem: quemadmodùm qui dixit: *Centaurus ſeipſum equitans*. Item quòd vellet Alexander in Olympico certamine currere: dum ait alter:

alter: *Alexander curre Matris nomen*; quia ejus Mater vocabatur Olimpia.

Locutione autem ſic: V. g. *Riſit roſam ſuavicolorem*. Translatio namque illa *riſit* præter id, quod decet ſumpta eſt; & illud verbum Compoſitum *ſuavicolorem* ne in Poemate quidem aliquis poneret bene ſanus.

Compoſitione demum, ſi ea vel Anapeſtica ſit, vel ſimilis verſibus mollibus, ac fractis, omniſque dignitatis expertibus; quales ſunt, qui conſtant Jonicis, qui *Sotadei* appellantur.

Proximum autem Gravitati eſt vitium, quod dicitur *Invenuſtum*. Naſcitur iſtud in rebus; quando aliquis turpia, & obſcæna apertè dixerit. Compoſitio perſpicitur eſſe invenuſta; ſi divulſa ſimilis fuerit; ut illius, qui dixit: *Si autem ſic ſe habuerit boc, & boc interficere &c.* & ſi membra nullam habeant inter ſe colligationem; ſeu Periodi continentes ſint, & longæ, & quæ ſuffocant dicentes. Si denique verba rebus non reſpondeant; ut cum Clitharcus de Tenthredone beſtiolâ ſimili Api ſic ait: *Depaſcit quidem loca montana; involat autem in cavas quercus*: tanquam de bove fero, vel Apro Erymanthio loquens, non jam de quodam Apis genere.

At ſatis, quæ de Elocutione, explicata ſunt. Nunc ad primam, potioremque Rhetoricæ partem, quæ tota in argumentorum Inventione continetur.

* * *

LIBER TERTIUS.

In quo de Inventione.

IAm ſatis oppidò de verborum elegantiâ, & figurarum ornatu, in quo quilibet, qui ad Eloquentiæ laudem anhelat, toto virium conatu enitatur, neceſſe eſt. At longè fallitur, qui fortè exiſtimet, ſatis eſſe verba omnia è Tullii penu depromere, eaque ad compoſitionem quandam partium, & condecentiam colligatæ, ac ſchemmata, quæ illuſtriora videntur, hinc, & illinc diſtribuere; ut totam Oratoris provinciam obtineat. Hunc profectò rudes homines, ut ſolent omnia, quæ ſibi videntur rara, mirabuntur; Sapientes autem, qui aliquid ampliùs ab Oratore depoſcunt, in quo omnis Eloquentiæ vis continetur: diligentiam illam fortaſſe cõmendabunt: inſcitiam certè, & nudum verborum fucum reprehendent. Illud itaque eloquenti Viro curandum præ aliis, ut Oratio ex omni parte cauſæ munita ſit argumentis, quibus adverſarium inſectetur, terreat, percellat: ut abundet affectibus, quibus ſupplicet Judicibus: reos commendet: accuſatores in invidiam adducat: Audientium animos demum, quòcumque velit, impellat. Jamverò de his omnibus Adoleſcentes ſatis in Elocutione eruditos inſtituere nitar; contendamque pro virili, ut quæ Oratoriæ inventionis præcepta addiſcenda proponam: ea ipſi exemplis è puriſſimis Scriptorũ fontibus petitis, clarè videant comprobata.

Quid

Quid ſit Inventio, & quotuplex: quæ illius materia, & partes.

CAPUT I.

ARs inveniendi, quam omnium Rhetoricæ partium difficillimam æquè, ac utiliſſimam appellat Cicero, (1.) definiri ex eodem poteſt: *Excogitare, quemadmodùm Orator fidem faciat eis, quibus volet perſuadere; & quemadmodùm motum eorum animis afferat:* Cum enim omnia ſint ad finem dirigenda, qui in Oratore eſt Perſuadere dictione: nemo finem aſſequi poterit, niſi quibus rebus fides obtineatur, intellexerit. Cumque homines faciliùs commoto animo credant, quàm ſedato, & tranquillo: ita ea inveniri etiam debent, quæ ad animos movendos magis conducant.

Inventionis materia, ſicuti totius Rhetoricæ eſt *unaquæque res, de quâ agi velit*. At quoniam Eloquentiâ primùm homines uti cæperunt in Judiciis, & Deliberationibus: cum ſive vitæ, ſive fortunarum urgeret periculum, ut Cic. teſtatur in Bruto; ita maximè propria Oratoriæ inventionis materia videtur, quæ in cauſis forenſibus, & communibus verſatur. Et re ſanè verâ Phædrus apud Platonem affirmat, audiviſſe ſe Oratores in Judiciis, & Concionibus verſari: in aliis non audiviſſe. Verumtamen veluti Medicina antea ad curandos morbos fuit inventa, deinde ad valetudinem tuendam, & conſervandam tranſlata eſt: eodem fermo pacto Eloquentia ad contentiones Judiciorum, & Deliberationum cæpta eſt pri-

(1.) *De part. Orat.*

mùm adhiberi: hinc ad res cæteras explicandas a Philoſophis, Hiſtoricis, & aliis, qui aliquid ornatè voluerint non ſolùm utilitatis, ſed etiam ſuavitatis causâ proferre. Omnia igitur dicuntur Oratori ſubjecta eſſe; quia præcepta ſuæ artis poteſt ad quaſcumque res illuſtrandas, & exornandas transferre; quod perinde eſt, ac ſi mallei materiam dicas eſſe quodvis metallum; non quòd ex quocumque metallo fiat (fit enim tantùm ex ferro) ſed quod ejus uſus latè pateat ad omnia metalla tractanda, & dilatanda. Itaque cum diximus, omnia ſubjecta eſſe Oratori, non ut eorum naturam explicet, intelleximus; ſed ut eadem exornet.

Inventio Oratoria plurimùm diſtat a Dialecticâ. Primùm enim differt ratione finis; quia Rhetoricæ finis eſt Perſuaſio: Dialecticæ verò probabilis diſputatio, aut victoria. Dialecticæ quæſtiones cognitionis gratiâ inſtituuntur: Rhetoricæ autem actionis causâ. Porro ex diverſitate finium materia etiam diverſa. Materia Dialecticæ eſt generalis; ut quæ argumenta quælibet tractat probabilia. V. g. Si quis hominem ſpectet, quatenus eſt animal; Rhetoricæ verò eſt ſpecialis; quia argumentis tantùm utitur perſuaſibilibus: V. g. Si quis hominem conſideret, ut eſt homo.

De Locis Oratoriis.

CAPUT II.

Cum duo ſint, quæ in Oratoriâ facultate requiruntur, hoc eſt *fidem facere, & movere*; nos Tullii methodum proſequentes, priùs de fide, poſtea de animi motu inquiremus.

Fides igitur perorando fit argumentis, quæ à

Cicc.

Cicerone (1.) definiuntur *probabile inventum ad faciendam fidem*. Hujuſmodi argumenta eruuntur ex Locis, quos idem Cicero (2.) appellat communes, & ſic definit: *In quibus repoſita latent argumenta*. Hi utique Dialecticæ arti ſubjici propriè videntur. Sed quia Rhetorica Dialecticæ propago quædam eſt, & ſimulacrum, ut ait Ariſtoteles: (3.) ideò locis his communibus tamquam ſuis etiam Rhetores utuntur.

Locorum duæ ſunt differentiæ; alii dicuntur *Inſiti*, alii *Remoti*. Namque ea, quibus Orator utitur ad probandum: aut ab ipſo excogitantur, & inveniuntur; aut extrinſecùs aſſumuntur. Quæ ab Oratore excogitantur, neceſſe eſt, ut rei, de quâ agitur, inhæreant; non enim poſſent probare, ſi ab eâ penitus diſcreparent. Ideò locos, a quibus hujuſmodi argumenta educuntur, inſitos dicimus, ſeu qui inhærent in ipsâ re, ut *definitio*, *partium enumeratio*, *genus &c.* Quæ autem extrinſecùs aſſumuntur, quoniam Orator non ipſa excogitat, ſed aliunde oblata ſibi aſſumit: ita eorum loci remoti dicuntur, ſeu qui ſine arte putantur; non quia (inquit Majorag.) ſummâ arte tractari non debeant; ſed quia ab Oratoris arte non inveniuntur. Cæterùm ſummis Eloquentiæ viribus indigent; quoniam in eis, ut Quinctilianus teſtatur, major forenſium cauſarum contentio conſiſtit.

Loci inſiti numero ſunt ſexdecim: *Definitio*, *Diviſio*, *Notatio*, *Conjugata*, *Adjuncta*, *Genus*, *Forma*, *Similitudo*, *Diſſimilitudo*, *Contraria*, *Antecedentia*, *Conſequentia*, *Comparatio*, *Cauſa*, *Effectus*, & *Repugnantia*.

Locos

---

(1). *De part. Orat.* (3.) *Lib.* 1. *Rhet.*
(2.) *Lib.* 2. *de Orat.*

Locos verò remotos, quos in *Præjudicia*, *Rumores*, *Tormenta*, *Tabulas*, *Jusjurandum*, *Teſtes* partitur Quinctilianus, nos ſub unicâ *Teſtimoniorum* ſpecie cum Cicerone comprehendimus.

De Definitione.

CAPUT III.

O*Mnis, quæ a ratione ſuſcipitur de aliquâ re inſtitutio, debet a Definitione proficiſci; ut intelligatur quid ſit id, de quo diſputatur* : inquit Tullius. (1.) Ex quo evidenter apparet, quod cum aliquid tractare volumus : a definitione ſemper eſt incipiendum.

Definitio itaque eſt (2.) *Rei propoſitæ propria, & dilucida, ac breviter comprehenſa verbis enunciatio*. Talis eſt illa Horatii

Virtus eſt medium vitiorum utrinque reductum.

Ex definitione firmiſſima deducuntur argumenta. Sic Cicero probat Sext. in numero Optimatium eſſe hâc definitione : *Omnes Optimates ſunt, qui neque nocentes ſunt, nec naturâ improbi, nec furioſi, nec malis domeſticis impediti*.

Quinque traduntur definitionis ſpecies, nempe *Subſtantiæ*, *Cauſarum*, *Effectorum*, *ſive Officiorum*, *Partium*, atque *Accidentium*.

Definitio *Subſtantiæ*, quâ Philoſophi potiſſimùm utuntur, ea eſt, quæ explicat naturam rei per genus, & differentiam : ut *Homo eſt animal rationis particeps, & mortale* : *Animal eſt corpus vivum, & ſentiens*. Genus invenire, quoties aliquid definire volumus, facile eſt; differentiæ verò difficiliùs occurrunt. Hinc Oratores differentiarum penuriâ laborantes ad ultimam definitionis ſpeciem, nempe

(1.) *Lib. 1 de Offic.* (2.) *Quinct. lib. 7.*

pe *Accidentium* recurrunt, factâque eorum congerie, rem definiunt. Sic Cicero lib. 2. de Orat. Hiſtoriam definit: *Hiſtoria eſt teſtis temporum, lux veritatis, vita memoriæ, magiſtra vitæ, nuncia vetuſtatis.*

Definitio *Cauſarum* fit, cum omnes vel aliquas rei definitæ, cauſas exprimimus. Quatuor autem ſunt cauſæ: *Materia*, *Forma*, *Efficiens*, *Finis*. Sic in Ædificio materia ſunt lapides, cæmenta, ligna &c. Forma vel quadrata, vel fornicata: Efficiens Architectus & Operarii: Finis ipſa habitatio. Unicâ igitur definitione cauſas omnes complectèris, ſi dicas: *Domus eſt ſubſtructio quadrata, vel fornicata ex lapidibus, & lignis ab Architecto, Fabriſque formata habitationis gratiâ*. Ab unicâ tantùm cauſâ definitio quandoque conficitur, ut Ariſtot. (3.) a materiâ: *Ira eſt ſanguinis fervor circa cor*. A fine, ut ex eodem *Ira eſt appetitus ultionis*. Ab efficiente, ut in primo ejuſdem Eth. *Felicitas eſt virtutis præmium*. A formâ, ut *Mundus eſt univerſa complexio globoſa*.

Definitio *effectorum*, vel *officiorum* frequentior apud Auctores reperitur. Ut *Luna ſydus eſt, cujus vi maria fluunt, ac refluunt*. Officia parum diſtant ab effectis; niſi quod effecta magis ad res naturâ agentes pertinere videntur: officia verò ad eas, quæ agunt conſilio; ut *Prætor eſt, qui Juridicendo in Civitate præeſt*.

Definitio *partium* omnes rei, quam definit partes complecti debet. Ut *Rhetorica eſt inveniendi, diſponendi, & eloquendi Scientia*: *Menſis eſt ſpatium triginta dierum*.

Definitio denique *Accidentium* ea eſt, quæ tot accidentia colligit; ut quod definitur ab aliis omnibus

(3.) *lib. de Anima*.

nibus diſtinguatur. Hoc genere definitionis utitur ſæpè Cicero; & præcipuè cum docet, quænam ſint aves illæ, quæ *Ibes* dicuntur. Sic itaque ait *Ibes ſunt aves excelſæ, cruribus rigidis, corneo proceroque roſtro, quæ avertunt peſtem ab Ægipto; cum volucres angues ex vaſtitate Libiæ vento Africo invectas interficiunt, atq; conſumunt*. Verùm hæc, quæ ab accidentibus eruitur rei explicatio, deſcriptioni propior accedit, quàm definitioni, quæ licèt quid ſit res quam deſcribit, non explicet: verumtamen qualis ſit oſtendit; quod in Arte Oratoriâ utplurimùm ſufficit.

Elegantiſſimæ quoque definitiones ſunt, quæ per *Negationem*, & *Affirmationem* efferuntur; ut primùm quid res non ſit diſſeras: deinde ſuperiùs dicta per ironiam rejiciendo, genuinam ejuſdem rei naturam proponas. Sic Cicero pro Domo ſuâ antea oſtendit, quid non ſit Populus: *An tu Populum Romanum eſſe illum putas, qui conſtat ex jis, qui mercede conducuntur? Qui impelluntur, ut vim afferant Magiſtratibus? Ut obſideant Senatum? Optent quotidiè cædem, rapinas, incendia?* Tum per Ironiam. *O ſpeciem, dignitatemque Populi Romani, quam Reges, quam Nationes exteræ, quam Gentes ultimæ pertimeſcunt! Multitudinem hominum ex ſervis conductis, ex facinoroſis, ex egentibus conflatam?* Tandem ſubjicit, quid ſit Populus: *Ille, ille Populus eſt, Dominus Regum, Victor atque Imperator omnium Gentium*.

Definitiones Conglobatæ plurimùm etiam valent ad amplificandum; quoties ea, quæ congeruntur, rei definitæ conveniant; neque eadem ſemper recurrant, aut moleſtâ nimis frequentatione uſurpentur. Exemplum habes hujuſmodi apud D. Ambroſium Hexam. lib. 6. Os humanum definientem: *Quid eſt igitur os hominis, niſi quod-*

dam

dam Sermonis adytum, fons diſputationis, aula verborum, promptuarium voluntatis.

Apud Oratores, & crebriùs apud Poetas venuſtiſſimæ ſunt definitiones per Metaphoram: ut *Mors eſt occaſus vitæ: Adoleſcentia eſt flos ætatis &c.*

De Partium Enumeratione.

CAPUT IV.

PArtium enumeratio eſt *rei in ſuas partes diſtributio*. Partes apud Ciceronem duobus modis intelliguntur: vel ſunt partes totius, ut caput, humeri, brachia, pedes, &c. quæ totum corpus componunt, vel ſunt partes generis, quæ propriè ſpecies, ſeu formæ dicuntur, ut Prudentia, Juſtitia, Fortitudo &c., quæ ad virtutem referuntur. Tribus potiſſimùm modis locus iſte tractatur.

1. Cum partibus omnibus affirmatis, affirmatur & totum: ut ſi probare velit Cicero Milonem ab univerſo Populo diligi: videat primò, quæ ſint Pop. Rom. partes; cumque noverit eſſe tres, Senatum videlicet, equeſtrem Ordinem, & Plebem, ſic efformabit ab enumeratione partium argumentationem: *Milonem, & Senatus, & Equeſter Ordo, & Plebs denique Romanorũ univerſa palã in deliciis babet; ergo ab omni Pop. Rom. diligitur.* Sic idem poſt Red. ad Quir. hoc argumentationis genere probat, jucundiorem eſſe ſemel amiſſam fortunam, dum melior redit: *Quid dulcius hominum generi a naturâ datum eſt, quàm ſui cuique Liberi? Mihi verò & propter indulgentiam meam, & propter excellens eorum ingenium vitâ ſunt meâ chariores; tamen non tantâ voluptate erant ſuſcepti, quantâ nunc reſtituti. Nihil cuiquam fuit unquam jucundius, quàm mihi meus Frater; non tam id ſentiebam, cum fruebar,*

quàm

quàm tunc, cum carebam; & poſteaquàm vos me illi, & mihi eum reddidiſtis. Res familiaris ſua quemque delectat; reliquæ meæ fortunæ recuperatæ plus mihi nunc voluptatis afferunt, quàm tunc incolumi afferebant. Amicitiæ, conſuetudines, vicinitates, clientelæ, ludi denique, & dies feſti quid haberent voluptatis, carendo magis intellexi, quàm fruendo. Jam verò honos, dignitas, locus, ordo, beneficia veſtra: quamquam mihi ſemper clariſſima viſa ſunt; tamen ea nunc renovata illuſtriora videntur, quàm ſi obſcurata non eſſent. Sed tanquam bona valetudo jucundior eſt iis, qui è gravi morbo recreati ſunt, quàm qui nunquam ægro corpore fuerunt: ſic ea omnia deſiderata magis, quàm aſſiduè percepta delectant.

2. Cum, partibus omnibus negatis, negatur & totum. Quoties itaque Orator ad ſingulas partes infirmandas accedet: totum tunc corruet. V. g. quoniam tribus tantùm modis apud Antiquos Servi libertatem acquirebant, vel cenſu, vel vindictâ, vel teſtamento: ſi fortè Servum aliquem nondum eſſe a Servitute exemptum probare velimus, ita arguemus: *Non cenſu, non vindictâ, non teſtamento libertatem ſibi comparavit; ergo adhuc Servus eſt, non Liber*. Ex hoc loco Cicero Phil. 4. Antonium non eſſe Conſulem evincit: *Negat hoc Brutus Imp. Conſul deſignatus, natus Reipub. Civis: negat Gallia: negat cuncta Italia: negat Senatus: negatis vos. Quis igitur illum Conſulem, niſi latrones putant?*

3. Cum remotis cæteris partibus unica tantùm relinquitur. Hujuſmodi argumentatio a Quinctiliano (1.) vocatur *Remotio*, quæ ſic perficitur, V. g. *Hanc pecuniam aut ipſe ex cenſibus habuiſti: aut donatam accepiſti: aut tibi ea ſe ſponte obtulit* inven-

(1.) *lib.* 5.

inventa: aut alicui ſurripuiſti. Sed nec tanta tibi redundavit ex tenui cenſu. nec ex dono, nec ex fortunâ ad te perveniſſe probas; ergo illam ſurripuiſſe in confeſſo eſt. Per remotionem Cic. Phil. 2. negat ſe contemptum ab Antonio in Senatu, ab eodem eſſe diffamatum, noluiſſe ſecum in contentionē venire: concedit tandem ipſi eſſe Antonium inimicum; ut hoſtis patriæ probetur. Hoc argumentandi genus a remotione maximè periculoſum fatetur Fabius; ne ſi unam fortaſſe partem prætermittamus, tum ſtatim rideamur.

Ad hujuſmodi etiam locum referuntur Oratorum, & Poetarum propoſitiones, cum omnem quæſtionem ſibi propoſitam in partes diſtribuunt, ut Cic. pro Mur. *Intelligo, Judices, tres totius Accuſationis partes conſtitutas fuiſſe: harum unam in reprehenſione vitæ, alteram in contentione dignitatis, tertiam in criminibus eſſe verſatam.*

Plurimùm etiam confert Partium enumeratio ad amplificandum; fitque potiſſimùm, vel quando priùs partes enumeramus, quibus deinceps totum ſubjicitur, vel quando omiſſo toto, vicem illius partes ſubeunt. Sic Cic. 2. in Verrem hanc propoſitionem *Verris crimina omnia enumerari non poſſe*, partibus pro toto poſitis amplificat: *Putaſne, te poſſe quæ C. Verres in Quæſturâ, quæ in Legatione, quæ in Præturâ, quæ Romæ, quæ in Italiâ, in Achajâ, Aſiâ, Pamphiliâque peccârit, ea quemadmodùm locis, temporibuſque diviſa ſint, ſic criminibus, & oratione diſtinguere? Putaſnè, te poſſe id, quod in ejuſmodi reo maximè neceſſarium eſt facere, ut quæ ille libidinosè, quæ crudeliter fecerit; ea æquè acerba, & indigna eſſe videantur iis, qui audient, atque iis viſa ſunt, qui ſenſerunt.*

De

De Notatione.

CAPUT V.

QUam Græci *Ethymologiam* vocant : Cic. *Notationem* verbi , & Ariſtoteles *Symbolum* appellant ; habeturque, *cum ex vi nominis argumentum elicitur*. Ita Cicero 1. de Orat. ex vocabulo ducit argumentum : *Si Conſul eſt, qui conſulit Patriæ, quid aliud facit Opimius?*

Etiam in definitionibus aptè admiſcetur Ethymologia, ut ea , quæ multam continet eruditionem ; dum verborum originem quærit; quod Plato copiosè docet in Cratylo. Hinc dices: *Philoſophus eſt amator ſapientiæ: Geometra terram, qui dimetiri novit.*

Quin etiam Hiſtorias ſæpiſſimè exprimit, V. g. unde dicti ſint Bruti: Torquati: cur Latium: cur Italia dicta.

Duplex ex hoc loco infertur argumentatio.

1. Ex ipsâ nominis *Interpretatione* ; ut ſi aſſeras , Sapientiam in corde ſedem habere ; quòd cordati ſapientes dicantur : excordes verò inſipientes.

2. Ex *Æquivocatione* , cum unum verbum duo , vel plura ſignificat ; vel per *Translationem* , cum verbum in aliâ , quàm in propriâ ſignificatione capitur. Ovid. a translatione nominis pulcherrimum traxit argumentum hoc pacto

Quis enim celaverit ignem,
Lumine qui ſemper proditur ipſe ſuo?

Ignem enim pro amore poſuit , & tamen veluti de vero igne placuit arguere. Ex Æquivocatione duxit argumentum Auguſtus Cæſar, cum quidam araret locum paternæ ſepulturæ ; *hoc eſt*, inquit, *Patrem*

Patrem colere; ambiguè enim uſus eſt verbo *colo*, quod & vereri, & arare ſignificat.

Aliquando hæc verborum ambiguitas ſenſum ridiculum facit; ut apud Svetonium de Nerone.

Quis neget Æneæ magnâ de ſtirpe Neronem?
Suſtulit hic Matrem: ſuſtulit ille Patrem.

ubi verbum *ſuſtulit* primo loco enecare; altero verò ſublevare ſignificat.

Feraciſſimus etiam eſt locus iſte facetiis, & jocis. Sic Cicero jocatur in nomen Verris, quod *omnia verrat*.

Huc referuntur *Anagrammata*, ſive a literis, ſive a numeris deprompta; quæ cum magis laborioſi, quàm eruditi Ingenii partus, ac planè nugacia ſint, libenter omittimus.

De Conjugatis.

CAPUT VI.

QUinctilianus hunc locum a Conjugatis videtur contemnere; ſic enim (1.) ait. *His illud adſcire ridiculum putarem, niſi eo Cicero uteretur, quod Conjugatum vocant: ut eos, qui rem juſtam faciant, juſta facere; quod certè non eget probatione.*

Conjugata verò definiuntur, (2.) quæ *orta ab uno variè commutantur*: ut *ſapiens*, *ſapientia*, *ſapienter*. Habes apud Tullium in Piſ. illud: *Cum eſſet omnis illa cauſa conſularis, & ſenatoria: auxilio mihi opus fuerat & Conſulis & Senatoris.*

Tripliciter ea diſtingui ſolent. 1. Quæ ſolâ vocis conjunctione fiunt, ex quibus ſæpè fallax argumentum ducitur. V. g. *neceſſe eſt, uti aliquando vino*

K igi-

(1.) *lib. 5. cap. 10.* (2.) *Cic. in Top.*

igitur eſt neceſſe, aliquando vinolentum eſſe:

2. Quæ licèt nomine differant, re tamen conveniunt: ut Probitas, Innocentia. Ex iis elicitur argumentum: *Innocens eſt; ergo probus*.

3. Quæ & voce, & ſignificatione junguntur: ut *pius*, *piè*, *pietas*. Ab hoc loco Cicero argumentatur pro M. Marc. oſtendens quanta ſit Cæſaris magnanimitas: cum ipſius victoriæ conditiones ſuperaverit, ea victis concedendo, quæ poterat jure victoriæ auferre: *Cæteros quidem omnes Victores bellorum Civilium jam ante æquitate, & miſericordia viceras; hodierno verò die te ipſum viciſti. Vereor, ut hoc, quod dicam, non perinde intelligi auditu poſſit, atque ego ipſe cogitans ſentio. Ipſam victoriam viciſſe videris; cum & ipſa, quæ erat illa adepta, victis remiſiſti. Nam ipſius victoriæ conditione jure omnes victi occidiſſemus: Clementiæ tuæ judicio conſervati ſumus. Rectè igitur unus invictus es, a quo ipſius etiam victoriæ conditio, viſque devicta eſt.*

De Genere.

CAPUT VII.

GEnus a Dialecticis definitur: *id quod dicitur de multis rebus differentibus ſpecie*: Ut animal, quod dicitur de homine, leone, & equo, quæ diverſæ ſunt inter ſe ſpecies. Tullii verò hæc eſt definitio Generis: *Notio quædam ad plures differentias pertinens*. Omne itaque vocabulum, quod plura complectatur ſive ſpecie diſtincta, ſive numero tantum, Rhetores a nomine generis non excludunt. Ita Cicero pro Murenâ ab hoc univerſaliſſimo loco probat, utiliorem eſſe Reipublicæ Murenam, quàm

Ser-

Serv. Sulpitium. In univerſo enim comparat belli Duces cum Jureconſultis; atque oſtendit, illos utiliores eſſe Reipub., quàm iſtos. Quo probato in genere: in parte etiam hoc modo probat: *Belli Duces in Repub. ſunt utiliores, quàm Juris Conſulti: Murena eſt Dux belli, Servius eſt Juris Conſultus; ergo utilior eſt Reip. Murena, quàm Servius*.

Hoc argumentandi genus firmiſſimum eſt, atque tutiſſimum; ejuſque triplex eſt regula.

1. Quod tribuitur, aut denegatur generi, id quoque ſpeciei, ſeu parti ſubjectæ tribui, denegarique neceſſe eſt. Sic V. g. *ſi privati Cives Magiſtratibus obtemperare debent; ergo etiam Prætoribus. Si vitiis indulgere nefas; ergo etiam avaritiæ*.

2. Sublato genere tollitur quævis ſpecies. V. g. *Si non eſt Magiſtratibus obtemperandum; ergo neque Conſulibus, neque Prætori, neque &c.*

3. Poſito genere ponitur aliqua ſemper ſpecies, quamvis incerta; V. g. *ſi eſt elementum; ergo vel ignis, vel terra, vel aqua, vel aer eſt*.

Quinctilianus (1) ad probandam ſpeciem, minimùm valere genus affirmat, plurimùm verò ad refellendam; ut *ſi arbor eſt* (inquit) *ergo eſt platanus*: hoc poteſt eſſe falſum; at ſi quis dicat *non eſt arbor; ergo non eſt platanus*: id omnino verum deprehenditur. Contra ſpecies firmam probationem habet generis, infirmam refutationem. Ut *Juſtitia eſt; ergo eſt virtus*: valet. *Non eſt Juſtitia; ergo non eſt virtus*: non valet.

Sciendum tamen, quod quotieſcumque generi ſignum additur generale, ut *omne*, *quodlibet*, *quodcumque* &c. vel quoties genus ipſum univerſè ſumitur: etiam unaquæque ſpecies confirmatur. V: g.

(1.) *lib*, 5.

Si omnes Magiſtratus ſunt in poteſtate Populi Rom.; ergo etiam Prætura. Cum verò generale quidem ſignum, ſed negans generi additur: etiam omnes ſpecies negantur, & removentur. V.g. *Si nullâ virtute præditus Catilina fuit; ergo neque fortitudine*.

Latiſſimè igitur patet hic locus; quoniam omnes cauſæ, atque omnia argumenta confirmantur a genere. Hinc Dialectici ex ſingularibus propoſitionibus tantùm nihil docent concludi; & Cic. in oratione inquit: *Latiùs de genere, quàm de parte diſceptare licet; ut quod in univerſo ſit probatum, id in parte ſit probari neceſſe*.

Præterea hic locus ad amplificandum maximè confert: ab hypotheſi ad Theſim aſcendendo; quod fieri ſolet a Tullio ſæpiſſimè. Sic in oratione pro Cælio, cum Adoleſcentum ſtudia, ludoſque excuſat, ut illius adoleſcentiam non ſatis honeſtis ſtudiis deditam defendat. Et pro Mur, ubi in ridiculam Stoicorum Sectam invehit; ut Catonem illius Sectatorem irrideat; & alibi.

Cavendum tamen, ut ſcitè hic locus adhibeatur; ne ubi res ipſa non poſtulat, in Theſim ſe Orator conjiciat; atque ita longâ, & inani oratione intemperanter abutatur.

De Specie.

CAPUT VIII.

ARiſtoteles in Topicis argumentum a Genere, & a Formâ non diſtinguit, & a Cicerone ſæpè confunditur; unum etenim pro altero in facultate Oratoriâ non raro ponitur; & exquiſita Generis, atque Speciei diſtinctio ad Dialecticos potiùs, quàm ad Oratores pertinet. Verumtamen ad

ad clariorem eorumdem tractationem de utroque loco placet ſeparatim differre.

Speciē ergo definit Cic.: *Notio, cujus differentia ad caput generis quaſi ad fontem refertur*. Sic V. g. *mos, leges, æquitas* notiones ſunt, quæ ad Jus tanquam ad genus referuntur. Ratio argumentandi ab hoc loco erit hujuſmodi.

1 De quo ſpecies aliqua affirmatur, etiam & genus: ſic contra. V. g. *Ex quâlibet re lucrum quærere avari hominis eſt; igitur etiam turpe*. Avaritia enim turpitudinis ſpecies eſt.

2. Quod dicitur, & negatur de omni ſpecie; idem quoque de genere; & ad hoc caput referuntur nonnunquam Inductiones; cum ſcilicet ex omnibus ſpeciebus genus, aut ex multis Singularibus aliquod Univerſale concluditur. V. g. *Oderunt Catilinam Senatus, Equeſter Ordo, Cives, Plebs denique infima; ergo Pop. Rom. odioſus eſt Catilina*. Cicero hunc locum diſtinctè tractat pro Plancio: *Etenim bonorum gradus ſummis Hominibus, & infimis ſunt pares: gloriæ diſpares. Quis noſtrum ſe dicit M. Curio, quis C. Fabricio parem? Quis Cn. & Pub. Scipionibus? Quis Africano, Marcello, Maximo? eoſdem ſumus bonorum gradus, quos illi, aſſecuti. Eſt enim in virtute multis aſcenſus; ut is gloriâ maximè excellat, qui virtute plurimùm præſtet*.

3. Quod dicitur de aliquâ tantùm ſpecie: dicitur etiam ex parte de genere; non tamen universè concluditur. V. g. *Fuit avarus: fuit crudelis in adminiſtrandâ Siciliâ Verres; ergo vitiis non caruit*; non item valeret: *ergo omnia habuit vitia*.

Cum itaque multæ ſimul formæ congeruntur; validiora fiunt argumenta, & ad commovendos Auditorum animos potentiora. Hæc tamen nudè tractanda non ſunt, ſed vario figuratum, verborumque ambitu; ut patet in Cicerone pro

Quinct.: ubi eum poſſet abſolutè dicere, multa reperiri in Quinctii causâ, quæ adverſari ejus æquitati videantur nocitura in partes diſtribuit, quæ ſunt Gratia Nævii, & Hortenſii Eloquentia; atque utramque variis figuris, dicendique modis amplificat, & exornat.

De Similitudine.

CAPUT IX.

Similitudo eſt *diverſarum rerum in unâ, vel pluribus partibus convenientia*. Differt a Comparatione; quia dum comparamus, aut plus, aut minus, aut par ineſſe alicui dicitur. At dum ſimile facimus, quale ſit id, de quo agitur, oſtendimus. Quamvis teſte Agricol. (1.) omnium locorum, ex quibus ducuntur argumenta, nulli ferè minùs eſt virium contra renitentem Auditorem, quàm Similitudini; tamen ad eum, qui ultro ſequitur, docendumque ſe præbet, accommodatior nullus eſt.

Hinc triplex ex ſimilitudine educitur argumentandi ratio: per *Inductionem*, per *Collationem*, & per *Exemplum*.

Inductio a ſimili eruta ea eſt, quæ Socrati fuit admodùm familiaris. Hâc etenim ille, quæ probanda ſuſceperat, quaſi oculis ſubjiciebat; tacitiſque interrogationibus, in quod ei placuerat, Auditorum conſenſum extorquebat. Tale eſt illud Cic. exemplum: *Si Tutor fidem præſtare debet, ſi Socius, ſi cui mandâris, ſi qui fiduciam acceperit: debet etiam Procurator.*

Collatio, quæ Græco nomine *Parabola* dicitur, fre-

(1.) *lib. 1. cap. 25.*

frequentiſſima apud Auctores cujuſque generis eſt: Tale eſt illud: *Quemadmodùm agriculturâ campi fæcundiores evadunt; ita animus noſter diſciplinis melior fit*. Hoc in genere elegantiſſimus eſt Quinct. lib. 1. *Sicut aves ad volatum, equi ad curſum, ad ſævitiam feræ gignantur: ita nobis propria eſt mentis agitatio, atque ſolertia; unde origo animo cæleſtis creditur*. Nec deſunt apud Ciceronem eruditiſſimæ collationes variis locis adhibitæ.

Tertium ſimilitudinis genus eſt *Exemplum*, quod rei alicujus geſtæ auctoritate nititur; ideòque inter homines tantùm propriè admittitur. Hujuſmodi argumentatio, utpotè quæ eruditior, ita majorem habet ad perſuadendum auctoritatem, præſertim in conſultationibus; quod ſi Exempla conglobentur: firmiorem non modò faciunt Orationem, ſed etiam illuſtriorem. Cic. pro Bal. *Hic tu Cn. Pompeii beneficium, vel potiùs judicium, & factum infirmare conaris, qui fecit quod C. Marium feciſſe audierat: quod P. Craſſum, quod L. Syllam, quod Q. Metellum, quod denique domeſticum auctorem Patrem ſuum facere viderat*.

Licet interdum ſimilitudinem aliquam effingere; eamque Audientibus proponere, particulâ adhibitâ conditionali; atque in moribus præſertim ſingularem habebit venuſtatem. Sic. Cic. pro Sex. *Etenim quæro, ſi quis Paterfamilias liberis ſuis a ſervo interfectis, uxore occiſâ, incenſâ domo, ſupplicium de ſervo quàm acerbiſſimum ſumpſerit: utrùm is clemens, ac miſericors, an inhumaniſſimus, & crudeliſſimus eſſe videatur? Mihi verò importunus, ac ferreus, qui non dolorem ſuum, & cruciatum doloris nocentis, & cruciatu linierit. Sic nos in his hominibus, qui nos, qui conjuges, qui liberos noſtros trucidare voluerunt: qui ſingulas uniuſcujuſque noſtrum domos, & hoc univerſum Reip. Domicilium delere*

conati ſunt; ſi vehementiſſimi fuerimus, miſericordes habebimur; ſin remiſſiores eſſe voluerimus, ſummæ nobis crudelitatis in Patriæ, Civiumq; pernicie fama ſubeunda eſt.

Quin etiam fabulæ ad hunc locum ſimilitudinis pertinent. Qualis illa fuit Horatii de Mure ruſtico, & urbano ad probandum, longè felicius eſſe in paupertate quietum, & liberum vivere, quàm in divitiis cum curis, & ſolicitudine.

Cavendum tamen eſt diligenter; ne quod ſimilitudinis gratiâ adſciſcimus, aut obſcurum ſit, aut ignotum; quod quamquam Poetas non dedeceat: tamen Oratoribus interdicitur; cum præſertim ſimilitudo non aliâ de causâ inventa eſſe videatur, niſi ad inferendam rebus lucem, ut inquit Quinctil.

Neque etiam ejuſdem coloris, & formæ in quâlibet materiâ erit ſimilitudo. Si quid fortè laudandum eſt: ſplendida ſit ſimilitudo; ſi verò vituperandum: humilis, & demiſſa; Si denique extollendum: magnifica, & ab illuſtri aliquo loco deprompta.

Tandem prudens Orator Perſonis, locis, temporibus ſe ſe accommodare ſtudeat; ut apud imperitam multitudinem facilioribus, apud eruditos homines ſublimioribus utatur ſimilitudinibus.

De Diſſimilitudine.

CAPUT X.

Diſſimilitudo, quam Cic. Differentiam vocat, eſt *oratio explicans affectionem diſſimilem rerum diverſarum*. Eſt autem hic locus copioſiſſimus, & vulgi opinioni, ſenſibuſq; conſentaneus. Si quis a ſimilitudine novit arguměta ducere: is a diſſimili facilè poterit; nam eadem eſt contrariorum diſci-

ſci-

ſciplina. Sic Cic. Juris conſultum Sulpitium cum Mur. Imperatore ita confert, ut illos oſtendat plurimùm diſſidere per utriuſque ſtudiorum diſſimilitudiuem: *Qui poteſt dubitari, quin ad conſulatum adipiſcendum multò plus afferat dignitatis rei militaris, quàm Juris Civilis gloria? Vigilas tu de nocte, ut tuis Conſultoribus reſpondeas; ille, ut eò, quò intendit maturè cum exercitu perveniat. Te Gallorum, illum Buccinarum cantus exſuſcitat. Tu actionem inſtituis: ille aciem inſtruit. Tu caves, ne tui Conſultores, ille ne Urbes, aut caſtra capiantur &c.*

Frequentior ex hoc loco arguendi ratio eſt ab unius affirmatione ad alterius negationem. Quarè Tullius negans, Populum Rom. ſervire poſſe, ſicut aliæ Nationes, ita inquit: *Omnes Nationes ſervitutem ferre poſſunt: noſtra Civitas non poteſt, nec ullam aliam ob cauſam, niſi quod illæ laborem, doloremque fugiunt, quibus ut careant, omnia perpeti poſſunt: nos ita a Majoribus inſtituti, atque imbuti ſumus, ut omnia conſilia, atque facta ad virtutem, & dignitatem referamus.*

De Contrariis.

CAPUT XI.

Contrariorum apud Cic. quatuor genera habentur: *Adverſa, Privantia, Relativa, & Contradicentia.*

Adverſa ſunt ea, quæ in eodem genere poſita plurimùm inter ſe differunt. Ut candor, nigredo: dulce, amarum &c.

Ab adverſis hoc modo deducuntur argumenta. *Si Patrum ſeveritas Filios ad res honeſtas impellit; eorundem indulgentia faciet; ut turpia patrare non dubi-*

dubitent. In hoc argumentationis genere Cic. ſanè mirus eſt artifex. Hinc pro Mil. *Quem igitur cum omnium gratiâ noluit : hunc voluit cum aliquorum querelâ : quem jure, quem loco, quem tempore, quem impunè non eſt auſus : hunc injuriâ, iniquo loco, alieno tempore, periculo capitis, non dubitavit occidere?*

Notandum tamen Contrariorum alia immediata dici; quia non habent inter ſe medium : ut *virtus*, *&* *vitium* : *calor*, *&* *frigus*. Alia verò medium admittunt, ut *Album*, *&* *Nigrum*. Arguendo igitur ſervanda hæc methodus, ſcilicet : Contrariorum immediatorum contraria ſunt conſequentia : ut *virtus amanda; igitur fugiendũ vitium*. Sic Cic. 5. quæſt. Tuſc. *Quid? cum fateamur, ſatis magnam vim in vitiis ad miſeram vitam; nonnè fatendũ eſt, eandem eſſe vim virtuti ad beatam vitam*. In contrariis, quæ medium habent, ſi unum ineſt, alterum abeſſe debet: V. g. *ſi eſt niger*; *ergo non eſt albus*. Non tamen valeret: *non eſt niger; ergo eſt albus*; poſſet ſiquidem eſſe, *vel viridis*, *vel flavus &c.* Ita Cic. pro Ligario: *Scelus tu illud vocas Tubero? Cur? iſto enim nomine illa adhuc cauſa caruit. Alii errorem appellant, alii timorem : qui duriùs, ſpem, cupiditatem, odium, pertinaciam : qui graviſſimè, temeritatem : ſcelus præter te adhuc nemo*.

Hoc contrariorum genus miram habet in Oratione gratiam; atque ideò a Cornificio ponitur inter figuras Oratorias. Cicero (1.) præcipit, ut contrariis frequenter Orationem noſtram illuſtremus; quòd & ad fidem valent plurimùm, & ad periodum ornatam, numeroſamque efficiendam.

Porro in amplificationibus deſpicienda non eſt quædam contrariorum contentio, cum verba verbis, quaſi denſatâ acie opponuntur. Sic Tullius 2. in

(1.) *In Orat. ad Br.*

2. in Catil. *Ex hac parte pugnat pudor, illinc petulantia; hinc fides, illinc fraudatio; hinc pietas, illinc ſcelus; hinc conſtantia, illinc furor; hinc honeſtas, illinc turpitudo; hinc continentia, illinc libido. Denique Æquitas, Temperantia, Fortitudo, Prudentia, Virtutes omnes certant cum iniquitate, cum luxuriâ, cum ignaviâ, cum temeritate, cum vitiis omnibus.*

Privantia, dicuntur, *cum alterum eorum declarat, rem eſſe privatam eo, quod illi aptum eſt a naturâ: Ut viſus, cæcitas, lux, tenebræ &c.* His uſus fuit Cic. cum ait. *Non eſt quod vereare, preſente Craſſo, mecum arcana communicare; non enim audirè poterit, quia ſurdus eſt.*

Relativa ſunt, *quæ cum aliquo conferuntur*; vel numquam per ſe intelligi poſſunt; ſed alterum ſemper reſpiciunt, ut *Servus, & Dominus: plura, pauciora &c.* Ab hoc genere firmiſſima ſemper deducuntur argumenta. Sic Cic. pro M. Marc. *Ex quo profectò intelligis quanta in dato beneficio ſit laus; cum in accepto tanta ſit gloria*. Horat. lib. 5. Serm. ab hoc loco pulcherrimum illud eruit argumentum.

Fortes creantur fortibus & bonis
Eſt in Juvencis, eſt in equis patrum
Virtus; nec imbellem feroces
Progenerant aquilæ columbam.

Contradicentia, ſive *negantia* ſunt, cum *unum affirmat, quod alterum negat*. Cic. 1. de Inventione ea, quæ ab hoc loco conficiuntur argumenta *ſimplicem concluſionem* appellat; illiuſque eſt pro Mil. exemplum. *Ejus igitur mortis ſedetis ultores, cujus vitam, ſi putetis per vos reſtitui poſſe, nolitis?*

De

De Adjunctis.

CAPUT XII.

ADjuncta ſunt *ea, quæ rei inſunt, non tamen neceſſariò cohærent*. Quinct. hujus loci non meminit, illum cum *Antecedentibus*, & *Conſequentibus* confundens, a quibus tamen Cic. diſtinxit; cum iſta neceſſitatem habeant: illa veroſimilia tantùm ſint, & quaſi ſigna ſeu circumſtantiæ rerum. Hic itaque locus, cauſis conjecturalibus apprimè utilis *admonet* ex eodem Tul. *ut quæratur, quid ante rem, quid cum re, quid poſt rem evenerit*. Eum Tul. diligentiſſimè tractat pro Milone. Oſtendit ſcilicet *ante rem* apparatum Clodii, qui ſecum haberet ſervos quoſdam barbaros, quibus uti ſolebat; quòd ſæpiùs mortem Miloni minatus eſſet. *In ipsâ re*: quòd expeditus in equo Miloni obviam factus eſſet; ac nulla ſecum impedimenta, nullos græcos comites, non uxorem, ut antea conſueverat, adduxiſſet. *Poſt rem*: quòd Milo rectà Romam veniſſet: quòd ſe Populo Romano: quòd Judicio commiſiſſet.

Circumſtantias, quæ deducuntur a Perſonâ, Loco, Tempore, Fortunâ, Patriâ, Ætate, Vitâ, Genere, Educatione, Habitu corporis, Studiis, Facultate &c. vocat Cic. *Conjuncta*; quæque ab jis eruuntur argumenta: ea duci a Conjunctis dicuntur.

Sic *a Loco*, arguimus, ſi ſpectemus omnes illius differentias, ſacernè, an prophanus, publicus, an privatus. A *Perſonâ*, an boni, vel mali nominis, Servulnè, an Dominus. A *Tempore*, ſi quâ horâ, quâ die, quo menſe, & anno, vel brevi, vel diu facinus patratum eſſe advertamus. A *Fortunâ*,

dives-

diveſnè, an pauper; credibile enim non eſt, idem fieri a divite, ac a paupere, a ruſtico viro, ac ab urbano, ab amico, ac ab inimico. A *Genere*; Filii enim Parentum veſtigia ſectantur. A *Natione*, & *Patriâ*; quælibet namque Regio ſuos habet mores: Alia Græcorum, alia Romanorum, alia apud Barbaros propenſio. A *Studiis*; ruſticum ſiquidem, forenſem, negotiatorem, militem diverſa indoles decet. Ab *Educatione*: a quibus, & quomodò quiſque ſit inſtitutus; Diſcipuli enim Magiſtros ſuos imitari ſolent. A *Facultate*, utrùm facultas fuerit necnè, aliquid conficiendi. A *Victu*; fueritne luxurioſus, an frugi &c. A *Modo*; an graviter, an contumelioſè: clam, palam, vi, caſu, neceſſitate &c. Ab his omnibus circumſtantiis Cic. pro S. Roſc. Amerino paternæ cædis ſuſpicionem a filio avertit; & in accuſatorem potiùs retorquet.

De Antecedentibus, Conſequentibus, & Repugnantibus.

CAPUT XIII.

Antecedentia, Conſequentia, & Repugnantia, unus quidem locus, ſi ad inventionem; triplex autem, ſi ad tractationem referantur.

Antecedentia igitur ſunt *ea, quibus poſitis neceſſe eſt, ut aliud ſequatur*. Sic *vita mortem*: *vulnus cicatricem* præcedit. Cic. in lib. de Senectute *Caret ſenectus epulis, extructiſque menſis, & frequentibus poculis; caret ergo vinolentiâ, cruditate, & inſomniis.*

Conſequentia ſunt *ea, quæ rem aliquam neceſſariò conſequuntur*. Ita *funus mortem*: *Victoria pugnam*: *pax bellum* ſubſequitur. Cic. pro Dom. ſuâ proponit

nit mala, quæ ſequerentur, ſi quilibet è Patricio plebejus fieret: *Itaq. Populus Rom. brevi tempore neque Regem Sacrorum, neque Flamines, nec Salios habebit, nec ex parte dimidiâ reliquos Sacerdotes, neque Auctores Centuriatorum, & Curiatorum comitiorum, auſpiciaque Populi Rom. Si Magiſtratus Patricii creati non ſint, intereant neceſſe eſt; cum Interrex nullus ſit; quòd & ipſum Patricium eſſe, & a Patricio prodi, neceſſe eſt.*

Repugnantia vocat Boethius, *quæ contrariorum ſunt conſequentia*. V. g. *Amicitia, & inimicitia* contraria ſunt; odium autem ſequitur inimicitiam; ergo *amicum eſſe*, *& odio habere* ſunt inter ſe repugnantia. Cic. nobiliſſimam illam Orationem pro Milone a Repugnantibus incepit. *Etſi vereor Judices, ne turpe ſit pro fortiſſimo Viro dicere incipientem timere; minimèque deceat &c.* Nam hæc duo repugnantia ſunt *fortiſſimum eſſe*, & *timere*.

Argumentationes ab his locis ita conſtruuntur, ut ab Antecedente plerùnque affirmando fiant: a Conſequente plerùnq. negando; a Repugnante verò utroque modo. Porro ab aſſumptione cognoſcitur argumentum. Si Antecedens fuerit in ipsâ aſſumptione: argumentum dicitur ab Antecedente; ut *Si homo eſt, doctrinæ capax eſt: atquì homo eſt; igitur doctrinæ capax*. At ſi in aſſumptione fuerit Conſequens: argumentum erit a Conſequente; V. g. *Si lapis eſt animal, ſenſum habet: ſed nihil omnino lapis ſentit; igitur non eſt animal.*

De Cauſis.

CAPUT XIV.

Cauſa eſt, *cujus vi aliquid fit*. Cic. etiam quatuor conſtituit cauſarum genere: nempe, *finem*,

finem, *formam*, *efficientem*, *&* *materiam*.

Materia illa dicitur, *ex quâ*, *vel in quâ*, *vel circa quam ſit aliquid*. Ex quo eruitur, eam triplicē eſſe

1. *Ex quâ aliquid ſit*: ut ex ferro enſis: ex ligno ſcamnum. Ex hoc loco Ovid. in 2. Metam: copiam ſumit, laudandi Regiam ſolis; quòd auro, argento, pyropis conſtructa eſſet.

Regia ſolis erat ſublimibus alta columnis,
Clara micante auro, flammaſque imitante pyropo
Argenti bifores radiabant limine valvæ.
Materiam ſuperabat opus.

2. *In quâ aliquid ſit*. Sic animus hominis erit materies ſcientiarum; cum in illo ſcientiæ recipiantur. Ovidius a materiâ *in quâ*, metaphoricè monet Ænomem.

Quid facis Ænome? quid arenæ ſemina mandas?
Non profecturis litora bubus aras.

3. *Circa quam aliquid ſit*. Sic laudis materies erunt virtutes, nobilitas, divitiæ &c. Martialis lib. 5. Epig.

Colchida quid ſcribis? quid ſcribis amice Thieſthem?
Quid tibi vel Niobe, Beſſe, vel Andromache?
Materia eſt mihi crede tuis aptiſſima chartis
Deucalion; vel ſi non placet hic, Phaeton.

Forma eſt, *per quam res quælibet eſt, id quod eſt, & à cæteris diſtinguitur*. Triplex eſt; *eſſentialis*, *accidentalis*, *artificialis*.

Forma eſſentialis ea eſt, *quæ ad naturam rei pertinet*. Sic animus eſt forma eſſentialis hominis. Cic. 1. offic. *Si conſiderare velimus, quæ ſit in hominis naturâ excellentia, & dignitas: intelligemus, quàm ſit turpe diffluere mollitie, & delicatè, ac molliter vivere; quàmque honeſtum ſit parcè, continenter, ſeverè, ſobriè.*

Accidentalis ea eſt, *ſinè quâ res intelligi poteſt*, per-

perfecta. Sic albedo eſt forma accidentalis parietis; quia ſine albedine intelligi poteſt paries.

Artificialis eſt, *quæ ab arte conficitur*; atque utplurimùm in figurâ, & partium ordine, ac diſpoſitione collocatur. Sic Cic. Verr. 6. Statuam Dianæ Segeſtæ poſitam ab Africano, quam Verres ſacrilegus abſtulit, a formâ tum artificiali, tum accidentali deſcribit.

Argumenta ex hoc loco ferè ſemper debilia ſunt, & infirma. Quapropter ejuſdem uſus in rebus amplificandis, deſcribendiſque felicior eſt, & accommodatior. Hinc fit, quod Oratores efficientem tantùm, & finem cauſas appellare, eiſque uti conſueſcant.

Efficiens cauſa dicitur *ea, a quâ res eſt*. Duplex occurrit: Neceſſaria ſcilicet, & libera. In naturâ enim neceſſitas eſt: ut venti neceſſariò efficiunt tempeſtatem. Sic apud Virgilium 1. Æneid.

Unà Euruſque Notuſque ruunt, creberque procellis
Africus, & vaſtos volvunt ad litora fluctus.

In voluntate eſt libertas. Exemplum habes pro Ligar. *Suſcepto bello Cæſar, geſto etiam ex magnâ parte, nullâ vi coactus, judicio meo, ac voluntate ad ea arma profectus ſum, quæ erant ſcuſcepta contra te.*

Cauſa efficiens libera poteſt aliquando in neceſſariam evadere, vel neceſſitate humanâ, vel divinâ; idque evenit, quoties eadem cogitur quidquam contra proprium conſilium efficere. Neceſſitatis humanæ exemplum eſt apud Virg.

Quid facerem? nec ſervitio me exire licebat.

Divinæ apud Cic. pro Ligar. *Ac mihi quidem, ſi proprium, & verum nomen noſtri mali quæratur, fatalis quædam calamitas incidiſſe videtur, & improvidas hominum mentes occupaviſſe; ut nemo mirari*

debeat

debeat, humana conſilia divinâ neceſſitate eſſe ſuperata.
Dividitur item cauſa libera in *Ratiocinationem, & Impulſionem*.

Ratiocinatio (1.) *eſt diligens, & conſiderata aliquid faciendi, vel non faciendi excogitatio*. Ut ſi quid amicitiæ causâ, vel inimici ulciſcendi, vel gloriæ, vel metus factum dicatur. Talis eſt illa ratiocinatio Ciceronis pro lege Man. *Majores veſtri ſæpè Mercatoribus, ac Naviculatoribus incuriosiùs tractatis bella geſſerunt*.

Impulſio eſt, *quæ ſinè cogitatione, per quandam affectionem animi facere aliquid hortatur*: Ut amor, iracundia, vinolentia &c. Interdum enim ſic animus occupatur perturbationibus, ut nullus ſit rationi, aut conſilio locus. Ita Alexander Macedo irâ repente commotus, Clytum amicum ſuum, & familiarem interfecit. Cic. pro Mil. tangit Impulſionem, cum inquit: *At valuit odium: fecit iratus: fecit inimicus: fecit ultor injuriæ: punitor doloris ſui*.

Altera eſt etiam in cauſis efficientibus differentia. Aliæ enim Principales habentur, aliæ Secundariæ. Principales ſunt, *in quibus potior eſt vis efficiendi*: ut Imperator eſt cauſa principalis victoriæ: Secundariæ, *quæ principalibus auxilio ſunt, illiſque ſubveniunt*. Ut milites, tela, tormenta &c. Utrumque cauſarum genus miſcuit Cic. pro M. Marc. *Nam bellicas laudes ſolent quidam extenuare verbis, eaſque detrahere Ducibus, communicareque cum militibus, ne propriæ ſint Imperatorum. Et certè in armis, militum virtus, locorum opportunitas, auxilia ſociorum, claſſes, commeatus multùm juvant; maximam verò partem quaſi ſuo jure fortuna ſibi vindicat; & quidquid proſperè geſtum eſt, id*

L pene

(1.) *Cic. Div. lib. 2.*

pene omnè ducit ſuum. At verò hujus gloriæ C. Cæſar, quam es paulò ante adeptus, ſocium habes neminem &c.

Finis eſt, cujus gratiâ aliquid fit, Sic ſanitas finis eſt medicinæ, victoria belli &c. Ab hujuſmodi cauſæ genere, quod omnium cauſarum optimum eſt, plurima erui ſolent argumenta. Tria ſunt enim, quæ ſibi homines tanquam fines expetendos proponunt: *Honeſtas, Utilitas, Voluptas*. Itaque cum aliquid ſuadere volumus, id vel honeſtum, vel vel utile, vel jucundum probare debemus. Sic enim facilè movebitur animus ad illud amplectendum. Hinc Cic. pro Sext. ab honeſtate finis, *Hæc imitamini per Deos immortales, qui dignitatem, qui laudem, qui gloriam quæritis. Hæc ampla ſunt, hæc divina, hæc immortalia: hæc famâ celebrantur: monimentis annalium mandantur: Poſteritati propagantur*. Ab utilitate illud ducit argumentum Juvenalis.

. . . . . *quis enim virtutem amplectitur ipſam*
Præmia ſi tollas?

Ab jucunditate Juno 1. Æneid. conatur Æolum impellere ad tempeſtatem excitandam.

Sunt mihi bis ſeptem præſtanti corpore Nimphæ,
Quarum quæ formâ pulcherrima, Deiopejam
Connubio jungam ſtabili, propriamque dicabo;
Omnes ut tecum meritis pro talibus annos
Exigat; & pulchrâ faciat te prole Parentem.

In omni Orationis genere frequentiſſimus eſt hic locus. Utimur enim illo tum in judiciali; ut Cic. qui pro Ligar. Tuberonem premit propter conſilium ſuſceptorum armorum: *Quid enim Tubero tuus ille diſtrictus in acie Pharſalica gladius agebat? cujus latus mucro ille petebat? qui ſenſus erat armorum tuorum? quæ tua mens? oculi? manus? ardor animi? quid cupiebas? quid optabas?* Tum in demonſtrativo; cujus enim finis bonus eſt, & id bonum: Sic Cic: pro Mur. *A Juriſperitis ſalubritas*

quæ-

quædam, ab Oratoribus ſalus ipſa petitur. Tum denique, & id præcipuè in deliberativo. Cic, pro lege Man. *Genus belli eſt ejuſmodi, quod maximè veſtros animos excitare, atque inflammare debet; in quo agitur Populi Rom. gloria, quæ vobis a Majoribus cum magna in rebus omnibus, tum ſumma in re militari tradita eſt. Agitur ſalus ſociorum atque amicorum, pro quâ multa Majores veſtri magna, & gravia bella geſſerunt. Aguntur certiſſima Populi Rom. vectigalia, & maxima, quibus amiſſis, & pacis ornamenta, & ſubſidia belli fruſtra requiretis &c.*

Valet inſuper hic locus ad amplificationes, gravioreſque animorum motus excitandos. Sic Tullius adhibuit ad miſericordiam commovendam pro Roſc. Amer. & alibi ad alios affectus.

De Effectis.

CAPUT XV.

Effecta dicuntur ea, *quæ ſunt orta de cauſis*. Tot igitur ſunt effecta, quot genera cauſarum. Quælibet enim cauſa ſuum habet effectum; imò & in unum omnes concurrunt. Hinc eſt, quod jis, qui ornatè, & copioſè loqui volunt, locus iſte mirabilem dicendi copiam ſuppeditat; cum denunciet, quid ex quâque re futurum ſit. Tul. 4: in Verr. probat ab effectis, Siciliam ſemper in fide, & fædere manſiſſe: *Sola Sicilia fuit eâ fide, & benevolentiâ erga Populum Rom. ut Civitates ejus Inſulæ, quæ ſemel in amicitiam noſtram veniſſent, numquam poſtea deficerent. Pleræque autem, & maximè illuſtres in amicitiâ perpetuò permanerent. Itaque Majoribus in Africam ex hâc Provinciâ gradus Imperii factus eſt; neque enim tam facilè opes Carthaginis tantæ concidiſſent; niſi illud, & rei frumentariæ ſubſidium, & receptaculum Claſſibus noſtris*

pateret. Horat. lib. 1. Epiſt. 5. ad Torq.

Quid non ebrietas deſignat? operta recludit:
Spes jubet eſſe ratas: in prælia trudit inermem:
Solicitis animis onus eximit, ac docet artes.
Fæcundi calices, quem non fecere diſertum?

Hinc homines laudantur, vel vituperantur ab iis, quæ dixerunt, & fecerunt: ex libris editis Auctores: ex operibus Artifices. Ita multæ ſunt in Vatinium, Piſonem, Catilinam, Antonium objurgationes a vitâ illorum & factis deſumptæ. Huc dicta pertinent: huc conſilia referenda. Ideò in Lentulum, Cethegum, & alios Conjuratos animadvertit Senatus Romanus, quia Patriam perdere cogitaverant. Hinc petuntur definitiones virtutum: ut Juſtitia eſt *virtus tribuens unicuique quod ſuum eſt*. Ad hunc locum ſpectat non ſolùm præterita, verùm etiam conſequentia, aut quæ conſequi poſſent, expendere.

Denique quoties ex factis alicujus, aut ex eventis aliquid quâvis ratione colligimus: tunc ex hoc loco ducimus argumentum.

De Comparatis.

CAPUT XVI.

Comparatio dicitur, cum *duo, aut plura in tertio aliquo conferuntur, quod commune ſit eis*. Ea duplex eſt; aut enim æqualia, aut inæqualia comparantur: ſi æqualia, dicitur *a pari*. Si inæqualia dicitur *a majori*, vel *minori*.

Paria comparamus, cum ex quantitate æquali, & pari par, & æquale approbatur. Triplici modo tractantur.

1. Quando nulla nota comparationis exprimitur, ut Terent. in Adel.

Quandò ego non curo tuum: tu non curas meum.

2. Quando exprimitur cum gradibus comparationis; ut Juven. Sat. 8.

Omne animi vitium tantò conſpectius in ſe
Crimen habet, quantò, qui fecit, major habetur.

3. Quando quantitatis notæ exprimuntur; ut ex Ovid. 4. de Ponto.

Tam felix utinam, quàm pectore candidus eſſem.

Et ex Cic. illud pro Syl. *Nec quid mihi iraſcare, intelligere poſſum. Si quòd eum defendo, quem tu accuſas: cur tibi quoque ipſe non ſuccenſeo, qui accuſas eum, quem defendo? Inimicum, inquis, accuſo meum. Et ego: amicum defendo meum.*

Aliquando par pari refertur, non tam diſputando, quàm repugnando; ut cum Menalcas reſpondere non poſſet: parem difficultatem appoſuit.

Dic quibus in terris, & eris mihi magnus Apollo:
Tres pateat Cæli ſpatium non ampliùs ulnas?
Dic quibus in terris inſcripti Nomina Regum
Noſcantur flores; & Phillida ſolus habeto.

Quoad argumentationem: quod in uno parium valet, admittatur in altero, & contra. Sic Cic. probat, ſe reprehendendum non eſſe, quod Syllam defenderit, ſi nec Hortenſius, nec Viri boni reprehenduntur, qui hoc idem fecerunt: *Si conjuratio patefacta per me eſt: tam patet Hortenſio, quàm mihi. Quem cum videas honore hoc, auctoritate, virtute, conſilio præditum non dubitaſſe, quin innocentem Syllam defenderet; quæro, cur*

aditus ad cauſam Hortenſio patuit; nobis interclusus eſſe debuerit?

Majorum comparatio eſt, *quoties ei, quod minus eſt id quod majus, comparatur*. In his aliquando exprimitur modus. V. g. *non ſolùm: ſed etiam: Tum: Cum &c.* ut Cic. pro Mur. *Noli tam eſſe injuſtus, ut cum tui fontes vel inimicis tuis pateant: noſtros rivulos etiam amicis velis clauſos eſſe.* Aliquando nulla ponitur nota, ut pro Mil. *Quem cum omnium gratiâ noluit, hunc voluit cum amicorum querelâ: quem jure, quem impunè non eſt auſus, hunc injuriâ, iniquo loco, alieno tempore, periculo capitis non dubitavit occidere?*

Argumentatio ab hoc loco ejuſmodi habet vim: nempe ſi quod probabilius eſt, verum non eſt; multò magis verum non erit, quod eſt minùs probabile. Tale eſt illud Cic. pro Sext. Amer. quo probat, Syllam non omnia advertere potuiſſe; cum Jupiter ipſe non poſſit. Ita Ovid. 1. de Pont.

Cur ego poſſe negem leniri Cæſaris iram;
Cum videam mites hoſtibus eſſe Deos?

Frequentiſſimus hujus loci in amplificationibus uſus; hic etenim tam ad laudem, quàm ad vituperationem aptiſſimus eſt; cum æquè virtutes, & vitia comparata magis eniteant.

Comparatio minorum fit, *quoties minora majoribus comparantur*; in quibus, ut in ſuperioribus duplex eſt uſus, nempe vel ſine ullâ notâ, vel cum notis: V. g. *malo. Tantùm abeſt &c.* Tull. Philip. 3. ab hoc loco oſtendit, Antonium non modò non in Urbe recipiendum, ſed bello exagitandum. *Hâc ille crudelitate imbutus, cum multò Bonis omnibus venerit iratior, quàm illis fuerat, quos trucidârat: Cui tandem veſtrum, aut cui omnino Bono pepercìſſet.* Cujus argumentationis vis ea eſt: ſcilicet, milites, quibus non erat iratus, trucidavit;

igi-

igitur vobis, quibus eſt iratior, majorem interet perniciem. Et Horat. epiſt. 1. lib. 1.

Ut jugulent homines, ſurgunt de nocte latrones:
Ut te ipſum ſerves, non expergiſceris?

Hinc quæ ducuntur ex hoc loco argumenta, ut plurimùm ſunt affirmantia: Cic. in Verr. 2. *Quid faceres pro homine innocente, & propinquo, cum propter hominem perditiſſimum, atque alieniſſimum de officio, & dignitate diſcedis?*

In amplificationibus etiã permagni eſt uſus hujuſmodi comparatio; cum rem unam multis comparamus, vel contra.

De locis remotis,
Et primùm de loco a Teſtimonio Divino.

CAPUT XVII.

Quælibet argumenta, quæ aſſumuntur extrinſecùs, cum ea maximè ex auctoritate ducantur: ita in teſtimoniis poſita eſſe affirmat Cicero, qui teſtimonium vocat *omne id, quod ab aliquâ re externâ ſumitur, ad faciendam fidem.*

Teſtimoniorum duo ſunt genera: *divinum, & humanum.*

Divinum in ſex veluti partes diſtribuitur, nempe *Oracula, Auſpicia, Vaticinationes, Reſponſa Sacerdotum, Aruſpicum, Conjectorum.*

Oracula teſte Tullio ex eo ipſo ſunt appellata, *quòd ineſt eis Deorum oratio*; ut ſi probare velles, Spartam nulla re aliâ, niſi avaritiâ eſſe peremptam: Apollinis Pythii Oraculum hoc illi malum eventurum prædixiſſe, aſſeres.

Auſpicia, ſive *Auguria*. Horum apud Romanos maxima erat cura; quoniam Romulus auſpicatò dicitur Urbem condidiſſe. Hinc eſt, quod Reges iidem erant & Augures, pro quibus erectũ Romæ

Collegium, quod tanto in honore fuit; ut Patricii, & Principes Civitatis in Augurum Collegium coaptari pro viribus conarentur. Tribus modis auguria captabantur. 1. ab aſpectu avium, quæ *Præpetes*, & *Anoſcines* nominabantur; & id propriè *Auſpicium* erat, ab avibus aſpiciendis dictum. Sic Romulus, cum Urbem conderet, duodecim Vultures aſpexiſſe perhibetur. 2. a cantu, & garritu aviũ quæ, *Oſcines* vocabantur, & hujuſmodi avium garritus *Augurns* nomen dedit. 3. a paſtu pullorũ, qui caveâ incluſi ſervabantur; idque *Tripudium ſoliſtimum* appellabant. Augurum quoquè intererat, de Cælo obſervare fulmina, tonitrua, tempeſtates, ac magiſtratibus obſervata referre. His igitur rebus tanquam divinis Teſtimoniis credendum Ethnici putabant. Sic Cic. Philip. 2. in M. Ant. vehementer inceditur; quòd artem augurandi prorſus ignoraret; & ementitus eſſet Auſpicia.

Vaticinationes a vatibus ducuntur. Nam quæ Vates prædixiſſent, divina eſſe teſtimonia cenſebant. Quocirca libros Sibillinos Romani frequenter adibant; cum Sibillam optimam acceperint fuiſſe Vatem. Sic Cic. 2. de naturâ Deor. *Multa ex Sibillinis vaticinationibus: multa ex Aruſpicum reſponſis commemorare poſſum.*

Reſponſa Sacerdotum. Id divini teſtimonii genus a Sacerdotum auctoritate ducitur. Romani etenim veteres jus ſuum Pontificium habebant; cujus interpretandi facultas penes Sacerdotes erat; iiſque credendum in rebus præcipuè dubiis cenſebant. Librorum genera, quibus Sacerdotes periti ſtudebant, multa enumerantur; ac ejuſmodi erant. V. g. Sibillini, quos Tarquinio Priſco ipſa Sibilla dediſſe traditur: Pontificii, Aruſpicini, Fulgurales, Rituales, Augurales &c.

Aruſpicum reſponſa. Erant Aruſpices, qui cæſis victimis in arâ, diligenter exta conſiderabant; & quid boni, vel mali portenderent, Populo ſignificabant. Extat Oratio luculenta Ciceronis de Aruſpicum reſponſis, in quâ elegantiſſimè quæ dicta fuerant ab Aruſpicibus, interpretatur. Sæpè etiam impedimento erant Aruſpices; ne bella ſuſciperentur, vel quid publicè ageretur. Itaque cæsâ hoſtiâ, ſi litatum non fuiſſet, Sacrificium inſtaurabatur; neque aliquid aggredi audebant; donec exta ſecunda apparuiſſent.

Reſponſa Conjectorū. Conjectores dicebantur Somniorum Interpretes. Putabat enim Antiquitas, a Jove ſomnia mortalibus immitti, quæ ſub involucris, & integumentis quibuſdam futura ſignificarent. Multa ſomniorum exempla Cic. 1. de Divin. colligit, quorum exitus mirabiles extiterunt.

His igitur teſtimoniis divinis Veteres utebantur, quorum loco alia Chriſti fideles ſuffecerunt: Oracula nimirum è Sacris Literis deprompta, Apoſtolorum traditiones, Summorum Pontificum Decreta, Eccleſiæ Univerſalis Concilia &c. quæ vera teſtimonia ſunt: rejectis figmentis, quæ ſtulta nobis tradidit Antiquitas.

De loco ab humano teſtimonio.

CAPUT XVIII.

TEſtimonium humanum illud eſt, cujus tota vis ab hominibus pendet. Hoc autem a triplici veluti fonte promanat: ab *Auctoritate*, a *Voluntate*, ab *Oratione*.

Auctoritas in humanis teſtimoniis magni ponderis eſt; hinc Cicero cum aliquem Teſtem vult

com-

commendare, eum ab Auctoritate, Fide, & Religione erigit. Sic pro Archiâ Poetâ: *Adeſt vir ſummâ Auctoritate, & Religione, & Fide L. Lucullus, qui ſe non opinari, ſed ſcire, non audiviſſe, ſed vidiſſe, non interfuiſſe, ſed egiſſe dicit*. Spectatur autem in eo potiſſimùm auctoritas; ſi quid viſum ſit Eruditis; nam credendum eſt in arte ſuâ Sapientibus, qui rerum cognitionem habent, nec ſolent mentiri. Ita ſi de aliquâ naturali quæſtione diſceptemus: ſatis erit probare, ſic Platonem, vel Ariſtotelem ſenſiſſe, ut omnis tollatur dubitatio.

Neque tantùm Sapientes, ſed etiam Artifices omnes in Artibus ſuis auctoritate gaudent ad probandum; eorumque dicta pro teſtimoniis adducuntur. Imò etiam uſus, & experientia vim habet auctoritatis ad perſuadendum; plerunquè enim creditur jis, qui experti ſunt.

Præterea quæ viſa ſunt Gentibus, Nationibus, Populis auctoritatem præbent. Ut Lucil. Balb. apud Tullium ideò probat eſſe Deos; quia nulla Gens eſt tam barbara, cujus mentem non imbuerit Deorum Religio.

Sententiæ quoque Poetarum fidem aliquandò faciunt tum apud Oratores, tum apud Philoſophos. Exemplum illud eſt, Magareos ab Athenienſibus, cùm de Salamine contenderent, victos Homeri verſu, qui ſignificabat, Ajacem naves ſuas Athenienſibus junxiſſe.

Proverbia, quæ vulgò recepta ſunt, auctoritati etiam quodammodò ſuffragantur; quale eſt: *ubi amici, ibi opes*.

Principes etiam Viri, Diviteſque majorem ſibi vindicant auctoritatem. Sed præ omnibus Proborum hominũ teſtimoniũ fidem obtinet; hinc (1.) Cice-

(1.) *a. de offic.*

Cicero inquit: *Juſtis, & fidis hominibus ita fides habetur; ut nulla in his fraudis ſit, injuriæque ſuſpicio*. Hâc proinde causâ quoties Orator Teſtes in judicium adducit, eos honeſtos, & probos eſſe oſtendit; quibus verò fidem adimere conatur, eos leves, & improbos eſſe demonſtrat.

Voluntas vivorum, & mortuorum hominum ſæpè pro teſtimonio valet. Voluntatem mortuorum ex Teſtamentis, & Scriptis maximè exploratam habemus. Cum ergo ex mortui voluntate quærimus teſtimonium: inveſtigandum eſt, quid dixerit: quid fecerit: quid mandârit: quid ſcripſerit: cui ſententiam ſuam communicâverit &c.

Sic Clodius teſtimonium voluntatis ſuæ dederat Favonio fortiſſimo Viro quærenti ex eo, quâ ſpe fureret Milone vivo; nam reſpondit, *Triduò illum, ad ſummum quatriduò moriturum*. Viventium voluntas eodem modo colligitur ex dictis, ex factis, ex mandatis, ex ſcriptis. Ita dicta Catilinæ, & mandata, ut Cicero Conſul interficeretur, conjurationis teſtimonium fuere.

Oratio duplex eſt: aut libera, aut expreſſa; ſi enim teſtimonia ſponte dicantur, Oratio erit libera: ſi coactè, erit expreſſa.

Libera Oratio, vel incerto Auctore vagatur, ut *Rumor*, *Fama*, vel certum habet Auctorem, ut *præjudicium*, *Præſentium dicta*.

Rumor, ſive fama a Cic. *Vulgi*, *& Multitudinis Teſtimonium* definitur. Hinc locus communis à rumoribus, & contra rumores. Si quis velit rumorem defendere: dicet, non eum temere naſci ſolere; nec omnino vanum illud eſſe, quod in ore fuerit multorum. Contra rumorem verò afferri poteſt eum eſſe ſermonem, cui malignitas initium dederit, incrementum crudelitas &c.

Præjudicium plurimùm valet; ſi jam de eâdem

causâ judicatum eſt, aut de pari, aut de ſimili; aut ſi Judices ſententiam ſuam, priuſquam judicent, patefecerint. Sic Milonis Adverſarii tribus judiciis eum jam damnatum aſſerebant. 1. Negabant, intueri lucem fas eſſe ei, qui a ſe hominem occiſum eſſe fateretur. 2. Ajebant, cædem, quâ P. Clodius occiſus fuerat, Senatum judicaſſe contra Rempubl. eſſe factam. 3. Adducebant, Cn. Pompejum Rogatione ſuâ, & de re, & de causâ judicaſſe. Quæ omnia ſingillatim & accuratè confutat Cicero in Milonianâ.

Præſentium dicta ab Auctoritate, Fide, & Religione dicentium, ut ſupra oſtendimus, confirmantur.

Expreſſa Oratio neceſſitatem habet; eaque teſte Tullio tum a corporibus, tum ab animis naſcitur: a corporibus quidem; nam ji, qui verberibus torti, aut igne excruciati ſunt, vera præſumuntur dicere; ab animis autem, quia dolor, cupiditas, metus, aliaque quæ animum turbant, alicujus quoque auctoritatis, & fidei eſſe videntur. Huc referuntur Pueritia, Imprudentia, Somnus, Violentia, ex quibus nonnunquam verum eruitur.

Sub Oratione quinque Species continentur; *Scripta*, *Pacta*, *Promiſſa*, *Jurata*, *Quæſita*.

Scripta magnam vim ad probandum habent; cum Fabulæ proferuntur, vel Chrirographa, ſeu Syngraphæ, vel Epiſtolæ, quæ rem incertam confirmant. Cic. comendat eas Tabulas, quibus Archias profeſſus fuit: *Imò verò jis Tabulis profeſſus eſt, quæ ſolæ ex illâ profeſſione, Collegioque Prætorum obtinent publicarum Tabularum auctoritatem.*

Pacta, vel ſcripto, vel ſine ſcripto conficiuntur. Auctor, ad Her. lib. 2. ea definit. *Quæ ſine legibus obſervantur ex conventu; & juri præſtare dicuntur*;

Ex

Ex quo intelligitur, quanta eorum ſit vis, ut etiam Legibus præſtent. Si tamen Pacta contra Leges fuerint, ſunt irrita; ut Antonius Imperator declaravit Baſilicæ reſpondens: *Pacta, quæ contra leges, conſtitutioneſque, vel contra bonos mores fiunt, nullam habere vim indubitati juris eſt.*

Promiſſa differunt a pactis; quòd illa debiliora ſint, & unius tantùm hominis eſſe poſſint; iſta autem validiora, & ſemper inter plures habeantur. Porro qui ſe promiſiſſe fatetur: contra ſe ipſum teſtimonium dicit; niſi vel metus, vel doli exceptionem opponat.

Jurata, ſive Jusjurandũ eſt *affirmatio Religioſa, quâ Deo teſte promiſſa obſervare obteſtamur.* Apud Græcos tria Jusjurandi genera traduntur. Primũ, quod affirmandi gratiâ ſponte ſuſcipitur; & appellatur *Epomocos Orcos*; Alterum, quod inficiandi gratiâ, & dicitur *Catomotos*; Tertium cum quis non ſponte, ſed invitus jurare cogitur, & *Epactos* vocatur. At facilè jusjurandum adverſariis deferri non debet. Nam ſi fuerint impii, & ipſi facilè pejerabunt. Teſtimonium autem jejurando firmatum longè validius eſt reliquis.

Quæſita, ſeu Quæſtiones ſunt teſtimonia quædam, quæ videntur eâ de causâ fidem facere; quia neceſſitas quædam eis ineſt. Quæ enim ſunt extorta minis, vel pollicitationibus, vel cruciatibus, videntur veritati conſentanea. Cicero pro Cluen. Saſſiam crudelitatis inſimulat; quòd iteratâ quæſtione Nicoſtratum ſervum diu torſerit. Quarè advertendùm, periculoſam nimis, & ſæpè fallacem eſſe tormentis expreſſam confeſſionem; vis namque doloris, aut cruciatuum metus falſa dicere etiam nolentes cogit.

De Affectibus excitandis;

CAPUT XIX.

Hactenus de jis, quæ ad fidem faciendam, docendumque, in Oratore deſiderantur. Quoniam verò Auditores non ſemper argumentis in noſtram ſententiam adducuntur: magno erit adjumento, ſi eos affectuum permotione ad finem præſtitutum impellamus. Cum enim animi noſtri gemina ſit pars; altera rationis compos, quæ omnia ratione tanquam trutinâ, & naturâ ponderat, & examinat: altera rationis expers, quæ variis affectibus eſt obnoxia; Orator ubi rationibus illam non poteſt expugnare: huic conatur motum afferre, perturbare, tenebras quaſi affundere; ut, quò voluerit, rapiat. Quod rectè fieri etiam Pauli, Iſajæ, cæterorumque Prophetarum exemplo monemur, qui non contenti Populos docere, affectus quoque cient, ut eoſdem ad honeſtas, ſanctaſque actiones certis veluti ſtimulis compellant, & provocent.

Affectus ab Ariſt. (1.) ſic definitur: *id, per quod homo immutatus non eodem modo de jiſdem rebus judicat; ſic, ut ſequatur voluptas, aut dolor*. Ita qui concupiſcit id, quod jucundum eſt, bonum etiam cenſet; at qui affectu hoc caret, non ita.

Stoici quatuor affectuum motiones admittebant: ratione boni præſentis, *lætitiam*; ratione boni futuri, *ſpem*; ratione mali præſentis, *dolorem*; ratione mali futuri, *metum*. Quas Maro expreſſit in 6. Æneid.

Hinc metuunt, cupiuntque, dolent, gaudentque. Peri-

(1.) *lib. 1. Rhet. cap. 1.*

Peripatetici verò multò plures ſtatuunt affectus; quamvis fortaſſe poſſint ad quatuor iſtos facilè reduci. Ex affectibus autem alii prævalent in genere Deliberativo: alii in genere Demonſtrativo: alii in Judiciali.

De Affectibus in Deliberativo Genere aptioribus, & primùm de Metu.

CAPUT XX.

Affectus ad Deliberativum Genus magis accommodi ſunt quatuor: *Metus*, *Fiducia*, *Pudor*, & *Impudentia*.

Metus (1.) *eſt moleſtia quædam, aut perturbatio ex phantaſiâ futuri mali, aut interimendi vim habentis, aut moleſti*. Ita Cic. in Or. pro Lege Man. Metum injicit initio narrationis: *Bellum grave, & periculoſum veſtris vectigalibus, atque ſociis a duobus potentiſſimis Regibus infertur Mitridate, & Tygrane &c.* Ex quo exemplò eruitur, duo requiri, ut Orator metum incutiat. 1. Ut malum objiciat Auditori, ejuſque magnitudinem exponat; quod colligitur ex verbis *bellum grave, & periculoſum*. 2. Ut hoc imminere oſtendat; quod cognoſcitur ex eo, quod dicit, *bellum inferri*.

Metuunt maximè Senes, Pauperes, Derelicti, quibus non ſunt Amici, nec Conſanguinei: Homines nullius conditionis, & dignitatis: Qui adverſâ fortunâ uſi ſunt &c.

Augetur metus, ſi calamitatem imminentem verbis, & figuris amplificemus, eamque veluti ob oculos ponamus. Sic Cic. impendentes Urbis calamitates ob nefaria Catil. conſilia ita deſcribit:

(1.) *Ariſt. Rhet. lib. 2.*

bit : *Videor mihi hanc Urbem videre , lucem Orbis terrarum , atque arcem omnium gentium ſubito uno incendio concidentem . Cerno animo ſepultam Patriam , miſeros , atque inſepultos acervos Civium . Verſatur mihi ante oculos aſpectus Cethegi veſtrâ cæde bacchantis . Quapropter de ſummâ ſalute veſtrâ , Populique Rom. de veſtris Conjugibus , ac Liberis , de Fanis , ac Templis , de libertate , ac ſalute Italiæ , de que universâ Republicâ decernite diligenter , ut inſtituiſtis , ac fortiter .*

Præterea cum periculorum alia ſint propria , alia communia ; & priora magis animos afficiant : ita communia ad privata revocare expedit . Sic apud Livium Pacuvius Calavius Filium meditantem Annibalis necem in convivio deterret imminenti in eum vindictæ periculo . *Unus aggreſſurus es Annibalem ? Quid illa Turba tot liberorum , ſervorumque ? Quid in unum intenti omnium oculi ? Quid tot dexteræ ? Torpeſcentnè in amentiâ illâ ? Vultum ipſius Annibalis , quem armati exercitus tremunt , quem horret populus Rom. , tu ſuſtinebis ?*

Minuitur metus , ſi fortè oſtendemus , vana eſſe , quæ timentur : ſi exempla recenſeamus eorum , qui a ſimili periculo immunes evaſerunt ; ſi denique demonſtremus , illos , quos metui volumus , nullas habere vires , & ab hominibus nullius potentiæ ſæpè ſuperatos eſſe . Sic Cic. 2. in Catil. diſertè conjuratorum vires deprimens , & illudens , a Romanis belli timorem avertit : *O bellum magnopere pertimeſcendum ! Contra illam naufragorum ejectam , ac debilitatam manum magnum florem totius Italiæ , ac robur educite Ex hâc parte pugnat pudor : illinc petulantia : hinc pudicitia : illinc ſtuprum &c.*

Metuentium mores facilè conjicies ; ſi advertas , eos ſemper pavere , pericula ubique fingere , ſuſpicari ,

cari., nulli fidere, latebras quærere, nihil tentare &c.

Signa timoris ſunt oris pallor, ſudor frigidus, capilli arrecti, vox interclufa, frequentia vota, lacrymæ &c. Hinc Oratio eorum ferè ſemper perturbata, languidior, conciſa &c.

De Fiduciâ.

CAPUT XXI.

Metui contraria eſt Confidentia; eaque ab Ariſtotele (1) definitur: *Spes cum phantaſiâ rerum ſalutarium, ut quæ prope ſint; metuendarum verò, ut quæ nullæ ſint, aut longè abſint.* Animus enim ſemper erigitur vel fiduciâ mali remoti, vel ſpe ſalutis proximæ. Sic Tur. Æneid. 10. verbis fiduciæ plenis ſuos ad Urbis defenſionem excitat

Quod votis optaſtis adeſt, perfringere dextrâ.
In manibus Mars ipſe, Viri. Nunc Conjugis eſto
Quiſque ſuæ, tectique memor: nunc magna referto
Facta Patrum, laudes. Ultro occurramus ad undam,
Dum trepidi, egreſſiſque labant veſtigia prima.
Audentes fortuna juvat.

Augetur fiducia, ſi doceamus aliorum exemplo idem periculum aliàs ſuperatum eſſe. Hâc uſus eſt arte Cæſar. in 1. de bello Gallico, ut animum militibus ſuis augeret. *Denique*, inquit, *hos eſſe eoſdem Germanos, quibus cum ſæpenumerò Helvetii congreſſi, non ſolùm ſuis ſedibus, ſed etiam in illorum fini-*

(1.) *Rhet. lib. 2.*

finibus plerùmque ſuperaſſent ; qui tamen pares eſſe noſtro exercitui non potuerint.

De Pudore, & Inverecundiâ.

CAPUT XXII.

PUdor eſt (1. *perturbatio animi ex aprehenſione mali, quod ad exiſtimationis offenſionem pertinere videtur.*

Ea, quæ pudorem afferunt, præcipuè ſunt: facta turpia, quæſtuoſa, vilia, ſibi, vel aliis injuroſa, vel hujuſmodi factorum ſigna. Sic milites ignavi animi notam ſubire, Nobiles turpis alicujus facinoris argui, erubeſcunt. Sic Cic. pro Leg. Man. *Videte, ne, ut illis pulcherrimum fuit, tantam vobis Imperii gloriam relinquere: ſi: vobis turpiſſimum ſit, illud, quod accepiſtis, tueri, ac conſervare non poſſe.*

Inverecundia eſt pudori oppoſita, quæ ſic deſinitur: *Contemptus rerum, quæ turpes factu creduntur.*

Inverecundi ſunt illi, qui nullam exiſtimationis curam habent, quibuſq; cordi non eſt hominum opinio; imò laude, & vituperatione nihil afficiuntur.

Inverecundi hominis intolerandum aſpectum exhibet Cic. in 1. Catil. *Conſtrictam jam omnium conſcientiâ teneri conjurationem tuam non vides? O tempora! O mores! Senatus hoc intelligit: Conſul videt; hic tamen vivit. Vivit? imò verò etiam in Senatum venit.*

De

(1.) *Ariſt. Rhet. lib. 2.*

De Affectibus ad Demonſtrativum genus ſpectantibus. De Lætitiâ, & Gratiâ.

CAPUT XXIII.

Affectus, qui præ cæteris juvant Demonſtrativum genus, ſunt *Lætitia*, *& Gratia*.

Lætitia (1.) eſt animi *affectio alicujus præſentis boni opinione concepta*. Præcipuus lætitiæ effectus eſt delectatio, quæ definitur: *Tranquillitas animi in bono præſenti ſuaviſſimè acquieſcentis*.

A magnitudine igitur alicujus boni vel *abſolutè* conſiderati, vel *comparatè* metitur hæc hilaris animi affectio. Vitata enim pericula, repulſa infortunia, tolerati labores ſunt lætitiæ cauſa; ut Cic. teſtatur 2. de fin. *Præteriti doloris ſecura recordatio delectationem parit*. Hujuſmodi affectum excitat idem Cic. pluries in Oratione poſt Red. ad Quir. & in Piſ. ubi reditus ſui celebritatem, & gaudium ita deſcribit: *Unus ille dies mihi quidem immortalitatis inſtar fuit, cum in Patriam redii: cum Senatum egreſſum vidi, Populumque Rom. univerſum: cum mihi ipſa Roma prope convulſa ſedibus ſuis ad Conſervatorem ſuum progredi viſa eſt; quæ me ita accepit, ut non modò omnium generum, ætatum, ordinum omnes viri, ac mulieres omnis fortunæ ac loci, ſed etiam mænia ipſa viderentur, & tecta ipſa, ac Templa lætari &c.*

Gaudentes ſemper in præſenti felicitate occupantur: præterita mala tanquam ſuperata commemorant: majora ſibi auſpicantur bona &c. Ab illis aliquando lacrimæ erumpunt; ſæpius tamen

(1.) *Aug. Val. lib. 2. cap. 25.*

in ore riſus, verba exultantia, frequentes exclamationes, interrogationes &c.

Gratia (2.) eſt, *quâ amicitiarum, & officiorum, alterius memoria, & alterius remunerandi voluntas continetur*. Orator itaque gratiam alicujus poterit amplificare, & imminuere: prout opus fuerit.

Amplificabit conſideratâ tripliciter accepti beneficii ratione: vel a Perſonâ, quæ illud accepit; ut ſi fuerit exul, aut egentiſſima: vel a magnitudine illius; ut ſi libertatem, vitam, fortunas quis dederit; vel a Perſonâ, quæ illud contulit; ut ſi ſola dederit, ſeu prima. A tripartitâ hujuſmodi obſervatione Didonis beneficium cõmendant Trojani apud Virg. Æneid. 1.

O ſola infandos Trojæ miſerata labores,
Quæ nos, reliquias Danaûm, terræque, mariſque,
Omnibus exhauſtos jam caſibus, omnium egenos
Urbe, Domo ſocias &c.

Hæc amplificandi beneficii ratio mirificè juvat ad excitandam referendæ gratiæ voluntatem, & turpe ingrati animi vitium removendum. At contra fiet, ſi fortè aliquis jactabundè nimis beneficium datum exaggerabit; diceturque non eum ſuâ ſponte benefeciſſe, ſed caſu, aut coactè: non tam beneficium dediſſe, quàm reddidiſſe: rem demum tam tenuem præſtitiſſe; ut neque beneficii nomen mereatur.

De

(2.) Cic. de Inv. lib. 2.

De Affectibus in judiciali genere frequentioribus. *De Irâ.*

CAPUT. XXIV.

AD judiciale genus aptari maximè videntur *Ira*, *Lenitas*, *Amor*, *Odium*: tum Motus, qui vel Iram, vel Odium conſequuntur, ut *Indignatio*, & *Invidia*: tum Lenitatis, & Amoris Effectus, ut *Miſericordia*, & *Æmulatio*.

Ira eſt *libido puniendi ejus, qui videatur læſiſſe injuriâ*. Cicero vehementi hâc animi impulſione primam in Catil. Orationem orditur. *Quouſque tandem, Catilina, abutère patientiâ noſtrâ?* &c. In his deſcribendis affectibus Poetæ videntur excellere. Apud Senec. in Med. frequentiſſima ſunt exempla.

Jam verò injuriæ excitantis iram tripartita eſt ſpecies: (1.) *Deſpectio*, *Incommodatio*, & *Contumelia*.

Deſpectio eſt *actus, & ſignificatio opinionis, quæ de jis rebus habetur, quæ a nobis nihili fiunt*. Hujus generis exemplum eſt apud Tul. in Piſ. *Ego iſtius pecudis, ac putidæ carnis conſilio ſcilicet, & præſidio niti volebam. Conſulem ego tum requirebam: Conſulem, inquam, non illum quidem, quem in hoc animali invenire non poſſem; qui tantam Reipublicæ cauſam, gravitate, & conſilio tueretur; ſed qui tanquam truncus, atque ſtipes: ſi ſtetiſſet modò, poſſet ſuſtinere tamen titulum Conſulatus*.

Incommodatio eſt *Impedimentum, quod opponitur, non quidem ut aliquid ſibi, ſed ne alteri bene eveniat*. Ità apud Saluſ. hâc utitur incommodatione

(1.) *Voſſ. part. Orat. lib. 2. cap. 6.*

ne Catil. *Quis mortalium, cui virile ingenium eſt, tolerare poteſt, illis divitias ſuperare, quas profundant in extruendo mari, & mōtibus coæquandis: nobis rem familiarem, etiam ad neceſſaria deeſſe? Illos binas, aut ampliùs domos continuare: nobis larem familiarem nuſquam ullum eſſe? Signa toreumata emunt, vetera negligunt, nova diruunt, alia ædificant, omnibus modis pecuniam trahunt, vexant: nobis eſt domi inopia: foris æs alienum, mala res, ſpes multò aſperior. Denique quid reliqui habemus, præter miſeram animam? Quin igitur expergiſcimini? En illa; quàm ſæpè optaſtis, Libertas, Divitiæ, Decus, Gloriâ in oculis ſita ſunt.*

Contumelia eſt, *cum quis voluptatis ſua gratiâ alterum afficit dedecore*. Cic in Piſonem perpetuâ utitur contumeliâ. *Non enim*, inquit, *nos color iſte ſervilis, non piloſæ genæ, non dentes putridi deceperunt. Pauci tua iſta lutulenta vitia narramus: pauci tarditatem ingenii ſtuporem, debilitatemque linguæ. Nunquam erat audita vox in foro: nunquam periculum factum conſilii. Obrepſiſti ad honores errore hominum: commendatione fumoſarum Imaginum, quarum ſimile habes nihil, præter colorem &c.*

Irati hominis ſigna ſunt oculi minaces, torvi, in flammas erumpentes, color in vultu rubens, totius corporis trepidatio. Sermo erit vehemens, contumeliis æſtuans: minutæ, conciſæque ſententiæ: interrogationes frequentes, & breves: inchoati ſenſus, & non perfecti &c.

De Lenitate.

CAPUT XXV.

Lenitas eſt *Iræ ſedatio*. Cum diverſa hominum indoles ſit, ut alii facilè deliniri patiantur: aliis placidis verbis magis efferantur; ita apud

iſtos magis proficimus, terrorem minis incutiendo; apud illos autem, delinificâ oratione mulcendo. Ad iram igitur compeſcendam proderit.

1. Tempus aucupari maximè accommodum. Primus enim iracundiæ impetus eſt freni impatiens. Itaque captanda erit occaſio alicujus irato homini ſupervenientis lætitiæ, vel honoris, vel fortunæ &c. Item ſi jam de altero ſupplicium ſumptum ſit; ut fecit Philocrates, qui proditionis accuſatus, cum quorundam ſupplicio Populum mitigatum vidiſſet: tunc oratione cæpit ſe purgare.

2. Illi adhibeantur, in quibus vel fraudis, vel inferendæ vis nulla ſuſpicio ſit; ut ſunt Pueri, Senes, Fœminæ, & Sacrorum Antiſtites. Ita in Sacris Literis legimus Joab, ut reconciliaret Abſalonem Patri, operam mulieris Thecuitidis adhibuiſſe.

3. Ea eſt eligenda oratio, quæ ſedandæ iræ magis congruat. Cum igitur ex opinione contemptus iracundia naſcatur: ex contrariis remedium erit adhibendum; nempe ſi quid oſtendemus factum eſſe vel irâ, vel caſu, vel ex imprudentiâ, non autem malo animo, & contumelioſè: item ſi priora beneficta cum præſenti injuriâ comparantes, hanc illa ſuperare convincamus. Quod ſi fortè locum ea omnia non habeant: tunc ingenuè teſtandum, dolere nobis hoc crimen. Animo enim ingenuo nihil jucundius poteſt accidere, quàm aliqua ſibi acquirendæ gloriæ occaſio; nihilque ad hujuſmodi finem magis conducit, quàm veniam petenti indulgere; ut inquit Ovid. lib. 3. Triſt. Eleg. 5.

Corpora magnanimo ſatis eſt proſtraſſe Leoni.
Pugna ſuum finem, cum jacet hoſtis, habet.

De Amore.

CAPUT XXVI.

DUplex amoris genus habetur: alterum *Amicitiæ*, *Concupiſcentiæ* alterum. Prius eſt illud, quo erga Amicos afficimur: Poſterius, quo amamus pecuniam, honores &c. Hic agimus de primo amore, qui ſic definitur: *Amor eſt affectus, quo alicui optamus, quæ bona exiſtimantur; eademque pro viribus efficere ſtudemus non noſtri, ſed ejus cauſâ, quem diligimus*. Ex quâ definitione patet, tres in amando obſervandas eſſe conditiones.

Prima eſt, ut quæ bona ſunt, vel ſaltem bona arbitramur, Amico deſideremus. Non enim ſi fortè prodeſſe ſtudentes noceamus, propterea inimici habebimur; cum Amor ex voluntate agentis, non ex rerum eventu actiones metiatur.

Secunda eſt, ut non in votis tantũ benefacere cõtenti ſimus; ſed re alicui pro viribus favere ſtudeamus. Sic monet Plautus.

Nequam illud verbum eſt, bene vult, niſi qui benefacit.

Tertia conditio eſt, ut ita animati ſimus, non ex proprio, ſed ex ejus, quem diligimus commodo. *Nam*, inquit Cic. (1.) *ſi ad fructum noſtrum referamus, non ad illius commoda, quem diligimus: non erit iſta amicitia, ſed mercatura quædam utilitatum ſuarum. Prata, & Arva. & pecudum Greges diliguntur iſto modo; quòd fructus ex jis capiantur.*

Quoniam autem amor, aut in hominem, aut in rem haberi poteſt; ſi Auditores attrahere ad hominem amandum ſtatuerimus: ea perſequemur, quibus

(1.) 1. *De nat. Deorum.*

quibus amor maximè conciliatur: morum ſcilicet, ſtudiorumque ſimilitudinem, humanitatem, fidem, modeſtiam, urbanitatem, cæteraſque virtutes, quibus utilem, honeſtam, jucundam, perpetuamque ejus amicitiam fore demonſtrabitur. Si autem ad rei cujuſpiam amorem incitare voluerimus; dignitatem illius, utilitatemque explicabimus: quid alii de illâ re ſenſerint: quid ipſi ſentiamus: quanto in pretio cum ab aliis, tum a nobis ipſis, & olim habita, & nunc habeatur; quod & multis, atque illuſtribus exẽplis docebimus.

Ut variæ ſunt amantium affectiones: ita varia videntur amoris ſigna, & indicia. Modò enim apparet in ore hilaritas, riſus, prægeſticus lætitia, & bona ſpes: modò pallor, macies, reique deſperatio. Oratio erit ingenioſa, culta, ſplendida, rerum, verborumque ornatu elegantiſſima, & facilis ea quæ placent, ſæpiùs repetere; ut videre eſt apud Tullium, qui in lib. 16. epiſt. 6. Tironem ſuum multoties ſalvere jubet.

De Odio.

CAPUT XXVII.

Tullius (1.) Odium definit *Inveteratam iram*. Quoniam verò minùs ad leges exacta videtur hæc definitio: ita faciliùs intelligetur, quid ſit odium; ſi cum amore, cui ex adverſo reſpondet, componatur.

Odii igitur concitandi rationem ſumemus; ſi (2.) quod malum ſuperbè, perfidioſè, crudeliter, confidenter, malitioſè, flagitioſèque factum proferamus. Sic Cic. in Or. pro Quinct. fraudulentum

(1.) 3. *Tuſc. cap.* 9. (2.) *ad Heren. lib.* 1.

tum Nævium, & iniquum proſcriptorem bonorum vocat in odium. Et pro Domo ſuâ inviſam reddit Clodii Religionem.

Odio flagrantis indoles eſt, inviſi hominis facta vel præclara imminuere; peccata vel levia amplificare: nocendi ſemper occaſionem inquirere: callidè moliri; ut opprimat etiam ſine ſui emolumento.

Odii autem dignoſcendi ſigna diffusè exhibet Seneca (3.) de Ira. *Flagrant, & micant oculi: multus ore toto rubor, exæſtuante ab imis præcordiis ſanguine: labra quatiuntur: dentes comprimuntur: gemitus, mugituſque, ſermo præruptus, compreſſæ ſæpius manus, totum concitum corpus, fœda viſu, & horrenda facies.*

De Indignatione.

CAPUT XXVIII.

INdignatio eſt *dolor ob alterius ſecundam fortunam; quia ſit indignus.* Diſcrepat ab Invidiâ, quæ bona digni etiam hominis inſectatur. Ita apud Virg. Ecgl. 1.

Impius hæc tam culta novalia miles habebit?
Barbarus has ſegetes?

Excitatur potiſſimùm indignatio ex duplici capite.

1. Si vitæ prioris ſordes, ac vilitas cum præſentis temporis opibus, ac potentiâ conferantur. Ita Cic. in Vatin. notavit egeſtatem, & obſcurum vitæ genus ab adoleſcentiâ. Hinc referre perrexit, quibus tandem gradibus homunculus vilis ad honores acceſſerit. Demum ſubdidit cum indignatione,

(3.) *lib*, 1. *cap.* 1.

tione, & ſtomacho, Vatinium omnibus odio eſſe.
2. Si hominis, in quem indignamur, immeritam ſortem, & vitia cum Viri, cui antefertur, meritis, & virtutibus comparemus. Sic Cic. per figuram præteritionem comparat Metelli pii Religionem cum Verris furtis ſacrilegis.

De Invidiâ.

CAPUT XXIX.

INvidia eſt *moleſtia quædam propter apparentem bonorum proſperitatem adversùs ſimiles; non ut ſibi adſit aliquid, ſed propter illos*.

Tullius quibus homines invideant eleganter recenſuit, dum ait: *Invident autem homines maximè Paribus, aut Inferioribus, cum ſe relictos ſentiunt; illos autem dolent evolaſſe. Sed etiam Superioribus invidetur ſæpè vehementer; & eò magis, ſi intolerantiùs ſe jactant; & æquabilitatem communis Juris præſtantiâ dignitatis, aut fortunæ tranſeunt*.

Poſtea modos, quibus concitatur invidia, docet; eoſque in triplici claſſe diſtinguit. *Quæ ſi inflammanda ſunt, maximè dicendum eſt, non eſſe virtute parta: deinde etiam vitiis, atque peccatis. Tum ſi erunt honeſtiora, atque graviora; tamen non eſſe tanti ulla merita, quanta inſolentia hominis, quantumque faſtidium*.

Denique media proponit ad ſedandam invidiam, eaque in quatuor capita dividit. *Ad ſedandam autem, magno illa labore, magnis periculis eſſe parta, nec ad ſuum commodum, ſed ad aliorum eſſe collata; ſe ſeque, ſi quam gloriam peperiſſe videatur: tametſi ea non ſit iniqua merces periculi, tamen eâ non delectari, totamque abjicere, atque deponere; omninoque perficiendum eſt (quoniam plerique ſunt*

invidi; maximèque eſt hoc commune vitium, & pervagatum) ut hæc opinio minuatur, & illa excellens opinione fortuna cum laboribus, & miſeriis permixta eſſe videatur.

Exempla habes quamplurima apud Cic. Sic pro Amer. Chryſogonum in invidiam vocat apud Judices ob divitias malè partas; qui eſt primus concitandæ invidiæ modus. Alterius modi exemplum invenies in Orat. pro Cæl. ubi præcipuè invidiam excitat in Clodium; quòd infamis mulierculæ interceſſione fuerit abſolutus. Poſtremi denique modi exemplum conſtat 6. in Verr. cui facit invidiam, expoſitâ ejus inſolentiâ.

De Miſericordiâ.

CAPUT XXX.

Miſericordia eſt *ægritudo ex miſeriâ alterius injuriâ laborantis*. Nemo enim Parricidæ, aut Proditoris ſupplicio miſericordiâ commovetur. Ita Æneas, cum Lauſum Mezentii Filium adoleſcentem interfeciſſet, hoſtis caſus miſeretur: animo reputans, hoc idem poſſe Aſcanio ſuo evenire.

At verò ut vultum vidit morientis & ora,
Ora modis Anchiſiades pallentia miris:
Ingemuit miſerans graviter, dextramque tetendit,
Et mentem patriæ ſubjit pietatis imago.

Difficilima eſt hujuſmodi Oratoriæ partis tractatio; ſummæque induſtriæ eſt, fletum ex alienis malis ſibi polliceri. Propterea ad commovendam hanc animi affectionem quinque advertenda ſunt.

1. Quod verè malum ſit, vel eſſe videatur illud, quod imminet.

2. Quod

2. Quod ſit grave, & magni momenti. Levior enim dolor miſericordiam nulli movet prudenti.

3. Quod cadat in hominem pium, fortem, bene de Patriâ meritum.

4. Quod quis exiſtimet, ſibi vel ſuorum cuipiam illud idem poſſe contingere.

5. Quod credatur prope eſſe. Nam quæ multo ab hinc tempore eventura ſunt, ea parum movent.

Ut faciliùs miſericordiam excitet Orator: operæ pretium erit, malum exaggerare ab adjunctis Perſonæ, loci, temporis, finis, modi.

Frequentiùs utemur figuris, deprecatione, proſopopæja, ſermocinatione. Oratio erit inculta, nec admodùm tropis, atque ambitioſâ periodo elaborata. Irridendus namque eſſet, qui expreſſurus lacrimas, politâ oratione tumidus exultaret.

De Æmulatione.

CAPUT XXXI.

ÆMulatio eſt *moleſtia quædam ſuſcepta ex eo, quod in jis, qui naturâ ſimiles ſunt, honorata bona ineſſe videntur; non quòd ea aliis adſint; ſed quia nos jis caremus.*

Ex Tullio 4. Tuſc. colligitur, duplicem eſſe æmulationis ſpeciem: malam, quam Plinius Paneg. Trajan. *pronam ad ſimultates vocat; & naſcitur ex conjunctione: alitur æqualitate: ardeſcit invidiâ: cujus finis odium eſt*; ac bonam, quæ propoſitâ ſibi alienâ felicitate, ad ſimilem ſe ſe fortunam, aut gloriam extimulat.

Bonæ æmulationis incitamenta ſunt Majorum virtutes, & egregia facinora: clarorum Virorum illuſtria facta: Familiæ decus, & ornamentum

&c.

&c. Ita ex æmulatione majorum Tullia apud Livium excitat L. Tarquinium ad Regnum capeſſendum.

Æmulatores ſunt magnanimi, animo fidentes, popularis auræ amantiſſimi, avidi ſimilem gloriam adipiſcendi.

Æmulationi adverſatur contemptus, quo alios deſpicimus; quia nihil laude, & honore dignum habeant; eorumque diſſimiles videantur, quorum nos æmuli ſumus.

Contemptores, inquit Cic. lib. 2. de Offic., *deſpiciunt eos, & contemnunt, in quibus nihil virtutis, nihil animi, nihil nervorum putant. Non enim omnes eos contemnunt, de quibus malè exiſtimant. Nam quos improbos, maledicos, fraudulentos putant, & ad faciendam injuriam inſtructos, eos haud contemnunt quidem, ſed de jis malè exiſtimant. Quamobrem, ut ante dixi, contemnuntur ji, qui nec ſibi, nec alteri proſunt, ut dicitur; in quibus nullus labor, nulla induſtria, nulla cura eſt.*

De Moribus.

CAPUT XXXII.

DUo *ſunt*, inquit Cic. (1.) *quæ admirabilem Eloquentiam faciunt: Mores, & Motus*. Cum igitur de animorum motibus ſatis dixerimus: reliquum eſt, ut ea obſervemus, quæ moratam orationem inſtituunt, quæve eruta a locis communibus argumenta conſolidant. Etenim, ut benè advertit idem Cic. (2.) *loci ei Oratori demum prodeſſe poſſunt, qui eſt verſatus in rebus, vel uſu, quem ætas auditione, cogitatione, & ſtudio affert. Si erit idem*

(1.) 2. *De orat.* (2.) *Ibidem.*

idem in conſuetudine Civitatis, in exemplis, in inſtitutis, in omnibus voluntatibus Civium ſuorum boſpes: non multùm ei loci proderunt illi, ex quibus argumenta promuntur.

Ut igitur morata ſit Oratio: curandum præſertim eſt Oratori; ut in ſermone ejus eluceant *Prudentia*, *Probitas*, *Benevolentia*: quæ tria innuere videtur Cic. (3.) cum ait: *Nunc mihi & conſiliis opus eſt tuis, & amore, & fide*. Conſilium enim ad Prudentiam, Fides ad Probitatem, Amor ad Benevolentiam refertur.

Prudentiâ itaque egemus; quia (4.) *iis fidem babemus, quos plus intelligere, quàm nos, arbitramur*.

Probitate verò; quia (5.) *quò quis verſutior, & callidior eſt: bòc invìſior, & ſuſpectior, detractâ opinione Probitatis*.

Benevolentiâ demum; quia licèt prudens quis, & probus credatur: tamen ſi odiſſe nos, vel alteri parti velle melius exiſtimetur; minimè nobis rectè velle conſulere judicabitur. Contra ſi ametur Orator, abſque violentiâ animos Auditorum invadet. Apud Virg. Æneid. 4. facile erit videre, quantoperè opus ſit in perorando benevolum haberi; ubi Iunonem ſic inducit loquentem

Sed quis erit modus? Aut quò nunc certamine tanto?
Quin potiùs pacem æternam, pactoſque bymenæos
Exercemus? babes, quod totâ mente petiſti.
Ardet amans Dido, traxitque per oſſa furorem?
Communem bunc ergo Populum, paribuſque regamus

Auſpi-

(3.) *lib. 2. epiſt. 22. ad Att.* (4.) *Cic. de orat.*
(5.) *Ibidem*.

Auſpiciis: liceat Phrygio ſervire Marito;
Dotaleque tuæ Tyrios permittere dextræ.

Quid Oratione iſthâc in ſpecie vel honeſtius, vel utilius? Et tamen perſuadere haud potuit Veneri. Ratio eſt;

. . . . . *Senſit enim ſimulatâ mente loquutam.*

Ideòque credere minimè potuit, Junonis animum tantoperè eſſe immutatum; ut, quæ Æneæ ſemper fuit infeſta, nunc illi bene velit, & faveat.

Præterea callere exactè debemus eorum ingenia, apud quos nobis dicendum eſt: Gentis exempla, & inſtituta, atque univerſim Gentium omnium mores advertere, opportunèque deſcribere. Hinc pro naturâ Gentis ejus, apud quam dicimus, orationem mutabimus. Hujus variandæ orationis exemplum exhibet Curtius (6.) in Alex. quem variâ oratione, ut cujuſque Gentis animis aptum erat, milites alloquentem inducit; quod eumdem feciſſe teſtatur Juſtinus lib 9. *Alexander Illyrios, & Thracas opum, ac divitiarum oſtentatione; Græcos veterum bellorum memoriâ, internecivique cum Perſis odio accendebat. Macedones autem nunc Europæ victæ admonet: nunc Aſiæ expetitæ; nec inventos illis toto Orbe pares Viros gloriatur &c.*

Ad hæc prudentis etiam Oratoris erit, diverſos Auditorum mores ſpectare ratione ætatis, ac fortunæ.

Pueri, quibùs recta contingit inſtitutio, religioſi ſunt, & verecundi: Parentibus morem gerentes. At facilè etiam credunt: facilè iraſcuntur; facilè audita produnt: proni ad mendacia: inſtabiles: cum æqualibus ſæpius garrientes, atque certantes. Ita Horatius. (7.)

Red-

(6.) *Lib.* 3. (7.) *Lib.* 2. *Ep.* 3.

Reddere qui voces jam ſcit Puer, ac pede certo
Signat humum, geſtit paribus colludere, & iram
Colligit, ac ponit temerè, & mutatur in horas.

Adoleſcentiæ indolem deſcribit Jul. Cæſ. Scaliger (8.) de quâ ſic: *Fertur, atque etiam impellitur ætas prima tum facilè, tum vehementer ad ea, quæ concupiſcit. Concupiſcit autem, & ſtatim, & multa potita contemnit. Ad alia animum appellit: præceps potiùs animus, quàm magna volvens. Iram, atque animum ipſum in fronte gerit &c.* Et Horat. loco cit.

Imberbis tandem Juvenis, Cuſtode remoto,
Gaudet equis, canibuſque, & aprici gramine campi:
Cereus in vitium flecti: monitoribus aſper:
Utilium tardus proviſor: prodigus æris:
Sublimis, cupiduſque, & amata relinquere pernix.

De mediâ autem ætate ſubjungit

Converſis ſtudiis ætas, animuſque virilis
Quærit opes, & amicitias: inſervit honori:
Commiſiſſe cavet, quod mox mutare laborat.

Senes parvi animi ſunt ex Ariſt. (9.) quoniam longa ætas eorum ſpiritus frangit. Nihil magnum, nihil eximium appetunt, ſed ea tantùm, quæ ſunt ad vitam neceſſaria: timidi, ſemperque verentes, ne aliquid ſibi mali contingat. De jis tamen meliùs Horatius.

Multa ſenem circumveniunt incommoda; vel quod
Quærit, & inventis miſer abſtinet, ac timet uti;
Vel quod res omnes timidè, gelidèque miniſtrat:

(8.) *Lib. 3. poet. c. 15.* (9) *Lib. 2. c. 31. text. 193.*

Dilator, ſpe longus, iners, avidusque futuri:
Difficilis, querulus, laudator temporis acti
Se puero: cenſor, caſtigatorque minorum.
& hæc de ætate.

Varii quoquè ſunt mores pro variâ fortunâ, juxta illud Terentii (10.) *omnibus nobis ut res dant ſe ſe: ita magni, atque humiles ſumus.*

Fortuna quatuor præcipuè modis ſpectatur, quos idem Terent. (11.) hoc verſu complexus eſt,
Potentes, Divites, Fortunati, Nobiles.

Nobiles, & in Civitate Principes honoris maximè ſtudioſos videmus. Nihil, niſi magnum, niſi præclarum, & avitæ gloriæ conſonum moliuntur. Si autem generis præſtantiâ abutantur, tumidi ſunt: deſpiciunt ſæpè eos, qui nullos conſecuti ſunt honores, omneſque etiam in dignitate novos, quorum Parentes ignobiles fuerint. Hinc pro Cæcin. inquit Cic. *Homines nobiles, ſeu rectè, ſeu perperam facere cœperunt: in utroque excellunt.*

Divitum mores utplurimùm contumelioſi ſunt, ſuperbi, molles; adeò ut iidem luxuriâ ſæpè diffluant: felicitatem ſuam oſtentent; ac, quia multi eorum indigent ope, inaniter efferantur. Opulentia proinde, ut Iſocrates ad Demoſth. ait, *vitii magis, quàm virtutis miniſtra eſt.*

Potentes partim divitibus ſimiles ſunt: partim paulò meliores. Honori plus ſtudent; induſtriamque omnem conferunt ad opes, & potentiam conſervandam, augendamque.

Fortunatorum denique nomine quamquam & Divites, & in dignitate Conſtituti cenſentur: illos tamen nunc intelligimus, qui bonâ valetudine fruuntur: quibus ſunt Liberi probi, & egregiis

---

(10.) *Hecyr. act. 3. Scen. 3.*
(11.) *Adelph. act. 3, Scen. 5.*

giis animi, corporiſque dotibus ornati &c. Eorum itaque mores eſſe ſolent ſuperbi, & inſolentes; quippe, ut ait Ovid. (12.)

Luxuriant animi rebus plerùmque ſecundis;
Nec facile eſt, æquâ commoda mente pati.

Ex contrariorum naturâ ſatis cognoſcitur, qui ſint mores eorum, qui illis opponuntur: Ignobilium nempe, Pauperum, Abjectorum, & Infelicium, quos Terent. in Adelph. (13.) ſic deſcribit.

Omnes, quibus res ſunt minùs ſecundæ, magis ſunt neſcio quòmodò
Suſpicioſi: ad contumeliam omnia accipiunt magis:
Propter ſuam impotentiam ſe ſemper credunt negligi.

(12.) 2. *De art.* (13.) *Act.* 4. *Scen.* 3.

Rhetoricarum Inſtitutionum

LIBER QUARTUS.

In quo de Diſpoſitione.

IAm ad eam Eloquentiæ partem accedimus, in quâ Oratoris Prudentia maximè ſpectatur; mirabiliùſque excellit: cum majoris induſtriæ ſit, res inventas bene coagmentare, quàm fuerit eaſdem inveniſſe. Quid enim prodeſt, ut Sententiæ graviſſimæ per ſe ſint: ſi nullâ diſtinctione quaſi in acervum & ſtruem proponantur; atque ita ejiciatur Oratio, ut nuſquam in animis Audientium poſſit inſiſtere?

Diſpoſitio itaque Oratoria eſt (1.) *rerum inventarum in ordinem Diſtributio*. Hâc nimirum inventa eo ordine componimus, ut ad naturæ conſilium omnia referamus. Hinc Tullius tantam vult eſſe in hâc parte vim; ut ejus potiſſimùm beneficio Auditores argumenta facilè percipiant, recordentur, retineant. In rebus etiàm minimis optima ſæpè collocatio aſſenſum meretur. At ubi res confuse miſcentur: illud ſtatim efficitur ex repugnantibus, & inter ſe contrariis naturis conflatum Monſtrum, quod Horatius initio artis poeticæ, deſcribit: quodque ut evitemus, ſapienter nos monet eo verſu

Singula quæque locum teneant ſortita decenter.

De

(1.) *Cic. de Invent. lib.* 1. *c.* 7.

De Partibus Orationis.

CAPUT I.

PArtes Orationis plures alii, alii pauciores conſtituerunt; ut Marcus Tullius de Orat. ſignificat. Nos verò cum eodem quatuor admittimus: *Exordium*, *Narrationem*, *Confirmationem*, *&* *Perorationem*; quarum duæ, Exordium ſcilicet, & Peroratio ad animos commovendos pertinent: duæ ad fidem faciendam, hoc eſt *Narratio* & *Confirmatio*. Cum duo ſint, quæ præcipuè ab Oratore ſpectantur: ut nimirum Audientium animos moveat, atque jis fidem faciat: ſic ea adhibenda ſunt in oratione, quibus utrumque præſtetur. Motus autem in principio, & in fine orationis excitari debet. Sed in Exordio leniores eſſe ſolent affectus, mitioreſque: in Peroratione graviores, & concitatiores.

Narratio non omnibus in cauſis eſt neceſſaria; in Deliberativo enim genere, in quo de futuro conſultatur, nihil opus eſt eâ. At in Demonſtrativo perpetua ferè narratio eſt cum amplificatione conjuncta. In Judiciali non quidem ſemper, ſed frequentiſſimè narrant Oratores.

Confirmatio ſemper eſt neceſſaria; eâ enim habemus argumenta, & rationes, quibus fidem adjungimus noſtræ cauſæ, & conatus Adverſariorum refellimus.

Amplificationem proprium habere locum in oratione idem Tullius affirmat. Sed quoniam huc, illuc vagatur; nam ſæpè in Exordio: ferè ſemper in Peroratione: tum in reliquo orationis curſu aliquando adhibetur, præcipuèque cum aliquid aut confirmatum eſt, aut reprehenſum; ita de eâ,

ubi enumeratæ orationis partes expeditæ fuerint, opportuniùs a nobis dicetur.

De Exordio.

CAPUT II.

Exordium definitur ex Cic. (1.) *Oratio animum Auditoris idoneè comparans ad reliquam dictionem.*

Exordiorum duo ſunt genera; *Principium*, & *Inſinuatio*.

Principium eſt (2.) *Oratio perſpicuè, & pretinus perficiens Auditorem benevolum, aut docilem, aut attentum.*

Inſinuatio eſt *oratio quâdam diſſimulatione, & circuitione obſcurè ſubiens Auditoris animum.*

Inſinuatione opus erit tribus præſertim temporibus.

1. Cum ipſa res animum Auditoris a nobis alienat.

2. Cum animus Auditoris perſuaſus videtur ab his, qui antea contradixerunt.

3. Cum defeſſus eſt, eos audiendo, qui priores dixere.

Ut verò bene exordiamur: neceſſe primùm eſt, diligenter cognoſcere genus cauſæ tractandæ. At genera cauſarum quinque numerantur a Tul. (3.) *Honeſtum, Admirabile, Humile, Anceps, Obſcurum.*

Honeſtum cauſæ genus eſt, cui ſtatim ſinè oratione noſtrâ Auditoris favet animus.

Admirabile, a quo alienatus eſt eorum animus, qui audituri ſunt.

Humile,

(1.) *De Invent. lib.* 1.
(2.) *De Invent. ibid.*
(3.) *Ad Her.* 1.

Humile, quod negligitur ab Auditore; nec magnoperè attendendum videtur.

Anceps, in quo aut judicatio dubia eſt: aut cauſa, & turpitudinis, & honeſtatis particeps; ut hinc benevolentiam pariat: hinc offenſionem.

Obſcurum, in quo aut tardi Auditores ſunt; aut negotiis intellectu difficilioribus cauſa implicita eſt. *Quarè*, concludit Cic. (4.) *quoniam tam diverſa ſunt genera cauſarum: exordiri quoquè diſpari ratione in unoquoque genere neceſſe eſt*.

In Admirabili genere cauſæ, ſi non omnino infeſti Auditores fuerint, principio benevolentiam comparare licebit: ſi vehementer alienati: confugiendum erit ad Inſinuationem. Ac ſanè ſi ab iratis benevolentia perſpicuè petitur, non modò ea non invenitur; ſed ira inflammatur, atque augetur.

In Humili genere, contemptionis tollendæ gratiâ attentum efficies Auditorem.

Genus Anceps indiget Inſinuatione. Quod ſi cauſa dubiam habeat judicationem: a judicatione ipsâ exordiendum: ſi partem turpitudinis, & partem honeſtatis: clam benevolentiam captare oportebit: ut in genus Honeſtum cauſâ omnino translata videatur.

In genere Honeſto, præteriri principium poterit; & ſi commodum fuerit, aut a Narratione incipiemus, aut a lege, aut ab aliquâ firmiſſimâ ratione noſtræ dictionis. Tamen ſi uti placebit principio: benevolentiæ partes adhibebimus; ut quod eſt, nitidiùs appareat, ac augeatur. Tandem in Obſcuro cauſæ genere enitendum principio, ut dociles ſiant Auditores.

Principia igitur trium rerum gratiâ ſumuntur:

(4.) *Ibid.*

ut amicè, ut intelligenter, ut attentè audiamur; quod eveniet, ſi Auditorem *benevolum*, *docilem*, *attentum* reddamus.

De parandâ Benevolentiâ.
CAPUT III.

BEnevolentiæ captandæ ratio maximè pendet a Perſonis, quæ tripertitò diſtribuuntur; ſunt enim aut noſtræ, aut Judicum, aut Adverſariorum.

A propriâ Perſonâ benevolentiam comparabit Orator

1. Si merita ſua, vel ejus, quem defendit in Rempublicam, & in eos, qui audiunt modeſtè commemorabit; ut Cic. pro Flac. *Cum in maximis periculis hujus Urbis, atque Imperii graviſſimo, atque acerbiſſimo Reipublicæ caſu Socio, atque Adjutore conſiliorum, periculorumque meorum L. Flacco cædem a vobis, conjugibus, liberis veſtris: vaſtitatem a Templis, Delubris, Urbe, Italiâ depellebam: ſperabam, Judices, bonorum potiùs L. Flac. me adjutorem futurum, quàm miſeriarum deprecatorem.*

2. Si ipſorum Judicum, aut Auditorum beneficia in nos collata exhibeamus; hoc enim grati animi indicium eſt: ut poſt Redit. in Sen. *Si P. C. pro veſtris immortalibus in me, Fratremque meum, ac Liberos noſtros meritis parum vobis cumulatè gratias egero &c.*

3. Si dignitatem, & virtutes eorum, de quibus agimus, oſtendamus. Sic Cic. pro Mur. commendat ipſum Murenam a dignitate; quòd eſſet Conſul deſignatus. *Idem* (inquit) *Conſul eum veſtræ fidei commendat, qui antea Diis immortalibus commendavit; ut ejuſdem hominis voce & declaratus Conſul, & defenſus, beneficium Populi Romani cum veſtrâ, atque omnium Civium ſalute tueatur.* Virtutes etiam

vim

vim habent præcipuam, ad benevolentiam conciliandam. Hinc Cicero rite ſcripſit, *proprium* (1.) *hoc ſtatuo eſſe veritatis, conciliare ſibi animos hominum, & ad uſus ſuos adjungere*. Hoc modo in Ver. benevolentia captatur. *Adductus ſum, Judices, officio, fide, miſericordiâ, multorum bonorum exemplo, veteri conſuetudine, inſtitutoque Majorum; ut onus hoc laboris, & officii non ex meo, ſed ex meorum Neceſſariorum tempore mihi ſuſcipiendum putarem*.

Ab Adverſariorum Perſonâ benevolentiæ occaſionem capiemus; ſi Judicum animos ab illis alienabimus. Quod tripliciter fieri poterit: eorum nempe maleficia: indignitatem: improbitatem demonſtrando.

1. Igitur maleficos eſſe homines, qui nobis contradicunt, oſtendemus, ut Cic. pro Roſ. Amer. de Chryſog. *Se ſe, hoc incolumi, non arbitratur hujus innocentis patrimonium tam amplum, & copioſum poſſe obtinere: damnato & ejecto, ſperat ſe poſſe, quod adeptus eſt per ſcelus, id per luxuriam effundere, atque conſumere*.

2. Illorum indignitatem ob oculos ponemus; ut in Vatin. *Si tua tantummodò, Vatini, quid indignitas poſtularet, ſpectare voluiſſem: feciſſem id, quod his vehementer placebat; ut te, cujus teſtimonium propter turpitudinem vitæ, ſordeſque domeſticas nullius momenti putaretur, tacitus dimitterem*.

3. Improbitatem demonſtrabimus; ac ſi quæ fortè crudelitas eſt in Adverſariis. Hinc pro Dejot. *Crudelis Caſtor, ne dicam ſceleratum & impium, qui nepos avum in diſcrimen adduxerit, adoleſcentiæque ſuæ terrorem intulerit ei, cujus ſenectutem tueri, & tegere debebat*.

Ab ipſis etiam Judicibus benevolentiam captari dabitur. 1. Cum

(1.) *Lib. 1. de Off.*

1. Si teſtemur, nos eorum unicè Virtuti, & Sapientiæ confidere; ut pro Roſ. Amer. *Fide, Sapientiâque veſtrâ fretus, plus oneris ſuſtuli, quàm ferre me poſſe intelligo: Hoc onus, ſi vos aliquâ ex parte allevabitis, feram, ut potero, ſtudio, & induſtriâ, Judices.*

2. Si ad eos etiam cauſam pertinere indicetur, propter poteſtatem ſcelera comprimendi. Sic pro Mil. *Si unquam de bonis, & fortibus Viris, ſi umquam de benemeritis Civibus poteſtas vobis judicandi fuit: ſi denique umquam locus ampliſſimorum Ordinum delectis Viris datus eſt, ubi ſua ſtudia erga fortes, & bonos Cives, quæ vultu, & verbis ſæpè ſignificarent, re & ſententiis declararent: hoc profectò tempore eam poteſtatem omnem vos habetis.*

3. Si nos in eis ſolis ſpem habere demonſtrabimus; ut pro P. Quinct. *Certè aut apud te, & eos, qui tibi adſunt veritas valebit; aut ex hoc loco repulſa vi & gratiâ, locum ubi conſiſtat, reperire non poterit. Non eò dico C. Aquilli, quò mihi veniat in dubium tua fides, & conſtantia; aut quò non in jis, quos tibi advocaſti, Viris electiſſimis Civitatis ſpem ſummam habere P. Quinctius debeat &c.*

Aliquando continget, quod odium, & offenſio ab Adverſariis collata ſit; ac tunc Defenſoris, aut Dicentis officium erit, eam vel prorſus tollendo, vel ſaltem minuendo, benevolentiam in Exordio ſibi captare; idque Tul. quatuor modis fieri poſſe diſertè docet.

1. Diluendo; diluere enim eſt penitus negare, & falſum eſſe oſtendere, quod ab Adverſariis objectum eſt. Ita pro Mil. priuſquam ad cauſam veniat, diluit ea, quæ adverſarii dicebant: primò nefas eſſe ei lucem intueri, qui a ſe hominem occiſum eſſe fateatur: deinde cædem, quâ P. Clodius occiſus eſt, Senatum judicaſſe contra Rem-

publi-

publicam eſſe factam: tum Pompejum rogatione ſuâ, & de re, & de causâ judicaviſſe.

2. Extenuando. Extenuare eſt non tantum eſſe crimen demonſtrare, quantum objicitur ab Adverſario. Ita pro M. Cæl. *Cum audiat nullum facinus, nullam audaciam, nullam vim in judicium vocari, ſed adoleſcentem illuſtri ingenio, induſtriâ, gratiâ accuſari ab ejus filio, quem ipſe in judicium, & vocet, & vocârit; oppugnari autem opibus meretriciis &c.*

3. Compenſando. Compenſare eſt aliunde ſupplere, quod alicubi deeſt. Sic Cic. pro M. Cæl. cum Cæl. flagitia negare non poſſet: ea cum ejus ingenio, & eloquentiâ compenſat.

4. Denique deprecando. Deprecari eſt crimen fateri; & tamen petere, ut ignoſcatur. Quod rarò accidit in judicio; niſi pro illo dicamus, qui maximis beneficiis Rempublicâ cumulârit. Idque Cicero facit pro Lig. quia Cæſarem non tamquam Judicem, ut ajebat, ſed tamquam Parentem alloquebatur. Frequenter tamen defenſioni deprecatio interponitur, præſertim obliquè; ut pro Mil. *Nec deprecaturi ſumus, ut crimen hoc nobis multa propter præclara in Rempublicam merita condonetis; nec poſtulaturi, ut ſi mors P. Clodii ſalus veſtra fuerit, idcirco eam virtuti Milonis potiùs quàm Pop. Rom. felicitati aſſignetis.*

De Parandâ Docilitate.

CAPUT IV.

SIcut a Perſonis benevolentia conciliatur: ita Docilitas a rebus ipſis. Docilis enim fit ſtatim Auditor, cum rem intelligit, de quâ ſumus dicturi. Hinc crebrò in Deliberationibus a rebus exordi-

ordimur, ut Cicero de Provinciis conſularibus: *Si quis veſtrum P. C. expectat, quas ſim Provincias decreturus: conſideret ipſe ſecum, qui mihi homines ex Provinciis potiſſimùm detrahendi ſint.*

Aliquando etiam in Judiciis a re ipsâ exordiri licet. Ita pro Aul. Cluen. Tullius ab Accuſatoris oratione exorditur. Quinque ſunt præcipua Ciceronis præcepta, quæ ſingula docilem Auditorem poſſunt efficere.

1. Ut a principio genus, naturamque cauſæ complectamur. Sic 1. Philip. *antequam de Republicâ P. C. dico ea, quæ dicenda hoc tempore arbitror: exponam vobis breviter conſilium, & profectionis, & reverſionis meæ.*

2. Ut definitione utamur; nam definitio breviter, & apertè rei cujuſque naturam explicat. Quamobrem ab eo monemur; ut in omni diſputatione incipiamus a definitione, quâ intelligi queat, quid ſit id, de quo diſputatur. Ita de lege Agr. contra Rul. pluribus ipſe verbis definit, quid ſit eſſe populare; & cuinam id nominis congruat: *Sed mihi ad hujuſce verbi vim, & interpretationem vehementer opus eſt veſtrâ Sapientiâ. Verſatur enim magnus error propter inſidioſas nonnullorum ſimulationes, qui cum populi non ſolùm commoda, verùm etiàm ſalutem oppugnant, & impediunt: oratione aſſequi volunt, ut populares eſſe videantur &c.*

3. Vt diviſionem adhibeamus. Diviſio ſiquidem totam orationem dilucidam, & illuſtrem reddit. A diviſione incipit Oratio pro Aul. Cluen. *Animadverti, Judices, omnem Accuſatoris orationem in duas diviſam eſſe partes, quarum altera mihi niti, & magnoperè confidere videbatur invidiâ jam inveteratâ Judicis Juniani &c.* Diviſio, ſeu partitio nonnunquã ante Narrationem ponitur; & tunc pars eſſe videtur Exordii: nonnumquam poſt Narrationem; ut

pro

pro Roſ. Amer. Sed ubicumque ponatur, ſemper vim habet, docilem efficiendi Auditorem; neque enim in Exordio tantùm, ſed in reliquis orationis partibus, & benevolus, & docilis, & attentus Auditor reddendus eſt.

4. Ne prudentiam, atque intelligentiam Auditoris confuſione partium impediamus. Hoc enim vitium ſicut in cæteris Orationis partibus: ita in Exordio vitandum eſt; ne quid perturbatè, aut confusè dicatur.

5. Ne multitudine partiũ memoria impediatur; Auditor enim meminiſſe nequit nimiam partium multitudinem. Ideò ſæpè præcipitur, ut oratio tota vel in duas, vel in tres partes, non in plures diſtributa ſit. Sic Cic. pro M. Cæl. duas in partes defenſionem ſuam dividens, *ſunt autem* (inquit) *duo crimina auri, & veneni, in quibus una, atque eadem Perſona verſatur: aurum ſumptum a Clodiâ, venenum quæſitum, quod Clodiæ daretur &c.* Pro Roſ. Amer. *tres* ait, *ſunt res, quantum ego exiſtimare poſſum, quæ obſtent hoc tempore Sex. Roſcio: crimen adverſariorum, & audacia, & potentia*. At interdum pluribus idem partibus utitur; ut pro P. Sext. *dicam ego de omni ſtatu P. Sex. de genere vitæ, de naturâ, de moribus, de incredibili amore in bonos, de ſtudio conſervandæ ſalutis communis*. Advertatur diligentiſſimè, ne tam conciſè, & minutè dividatur oratio, ut facere aliquando videntur Dialectici. Tot enim partibus Audientium obrui memoriam, neceſſe eſt.

De

De parandâ attentione.

CAPUT V.

ORator facilè attentionem ſibi parabit partim Promiſſione, partim Petitione. Promiſſione quidem tribus modis.

1. Si magna proponat. Hæc ſolent admirationem, & expectationem concitare. Ita Cic. pro C. Rab. *Sic enim exiſtimare debetis, Quirites, poſt hominum memoriam rem nullam majorem, magis periculoſam, magis ab omnibus vobis providendam, neque a Tribunis plebis ſuſceptam, neque a Conſule defenſam.*

2. Si neceſſaria. Res neceſſariæ ſunt, ſine quibus eſſe non poſſumus: ut Patria, cibaria, veſtes &c. aut quæ nobis cariſſimæ ſunt, ut Parentes, Conjuges, Liberi &c. aut quæ valde ſunt utiles, ut vectigalia, pecuniæ &c. aut denique, quæ ad honorem, gloriam, & dignitatem pertinent: quas ita colligit Cic. in Catil. ad Quir. *Rempublicam, Quirites, vitamque omnium veſtrum, bona, fortunas, Conjuges, Liberoſque veſtros, atque hoc Domicilium clariſſimi Imperii, fortunatiſſimam, pulcherrimamque Urbem, hodierno die, Deorum immortalium ſummo erga vos amore, laboribus, conſiliis, periculiſque meis ex flammâ, atque ferro, ac pene ex faucibus fati ereptam, & vobis conſervatam, ac reſtitutam videtis.*

3. Si conjuncta cum ipſis, apud quos res agetur. Res conjunctæ cum illis, qui audiunt, magnam concitant attentionē; quia omnes ſibi cavent, & ſuis commodis ſtudent. Cic. 2. in Ver. ita exorſus eſt: *Quod erat optandum maximè, Judices, & quod unum ad invidiam veſtri Ordinis, infamiamque judi-*

ciorum ſedandam maximè pertinebat: id non humano conſilio, ſed prope divinitus datum, atque oblatum vobis ſummo Reipublicæ tempore videtur.

Petitione autem paratur attentio; cum Auditores, attendere ut velint, rogamus. Id etiam aliquando fit in mediâ oratione; attamen initio ſollicitè magis exercetur: quemadmodùm facit Cic. in Milonianâ. *Quamobrem adeſte animis Judices, & timorem ſi quem habetis, deponite. Nam ſi umquam de bonis, & fortibus Viris, ſi umquam de benemeritis Civibus poteſtas vobis judicandi fuit &c.*

De variis exordiorum Fontibus.

CAPUT VI.

ATtributa Negotiis, & Perſonis, quæ *Circumſtantiæ* dicuntur, Exordii materiem frequentiſſimè ſuppeditant. Hinc è Ciceronianis præceptis id colligitur; ut tempus, Perſonam, rem, & locum accuratè conſideremus; hæc namque omnia orationis exordiendæ occaſionem præbere poſſunt. Sic a tempore Exordium ipſe ducit pro M. Cæl. *Si quis Judices fortè nunc adſit ignarus legum, judiciorum, conſuetudinis noſtræ: miretur profectò, quæ ſit tanta atrocitas hujuſce cauſæ, quod diebus feſtis, ludiſque publicis, omnibus negotiis forenſibus intermiſſis, unum hoc judicium exerceatur &c.*

A loco exorditur pro Dejot. *Moveor etiam loci ipſius inſolentiâ, quod tantam cauſam, quanta nulla umquam in diſceptatione verſata eſt, dico intra domeſticos parietes: dico extra conventum, & eam frequentiam, in quâ oratorum ſtudia niti ſolent &c.*

Ab improviſâ, & inſolitâ re poſſumus aliquando exordiri; ut pro Mil. *Hæc novi judicii nova forma terret oculos, qui quocumque inciderint, veterem*

con-

conſuetudinem fori, & priſtinum morem judiciorum minimè vident. Non enim coronâ conſeſſus veſter cinctus eſt, ut ſolebat: non uſitatâ frequentiâ ſtipati ſumus &c.

Ab interventu alicujus ſumi poteſt Exordium. Proinde Cic. 3. in Ver. *Eſt idem Verres qui fuit ſemper, ut ad audendum projectus, ſic paratus ad audiendum: præſto eſt: reſpondet: defenditur: ne hoc quidem ſibi reliqui fecit; ut in rebus turpiſſimis cum manifeſtò teneatur, ſi reticeat, & abſit; tamen impudentiæ ſuæ pudentem exitum quæſiſſe videatur.*

Ab interpellatione pariter poſſumus exordiri: ſi accidat ſcilicet, ut initio dicendi ab aliquo interpellemur, vel ut aliquis alius interpelletur. Ita pro C. Rab. *Nihil me clamor iſte commovet, ſed conſolatur; cum indicet eſſe quoſdam Cives imperitos, ſed non multos. Numquam, mihi credite, Pop. Rom. hic, qui ſilet Conſulem me feciſſet; ſi veſtro clamore perturbatum iri arbitraretur. Quantò jam levior eſt acclamatio. Quin continetis vocem indicem ſtultitiæ veſtræ, teſtem paucitatis?*

Ab Adverſarii dicto poterimus interdum exordiri, & ab eo præcipuè, quod in peroratione pronunciârit. Cic. Philip. 9. *Nihil præter ſententiam dicerem, niſi P. Servilio reſpondendum putarem, qui hunc honorem ſtatuæ nemini tribuendum cenſuit, niſi qui ferro eſſet in legatione interfectus.*

Elegantiſſimè etiam ab Hiſtoriâ, aut Fabulâ ordimur; dummodò *Redditioni* commodè adaptetur. Ita ſi laudare Scipionem Africanum velis, ſic te poſſe auſpicari oſtendit Voſſius. *De L. Emil. legimus, cum Ellæi imaginem conſpexiſſet, attonitum aliquantiſper hæſiſſe, exinde in hæc erupiſſe verba: Solus profectò Phidiæ Jupiter Homerici Jovis majeſtatem expreſſit. Idem ego non verear affirmare de Scipione Africano, in quo uno divinarum virtutum illuſtris*

ſtris

ſtris effigies effulget . Sed nullius tantum eſt flumen ingenii , quod oratione diſertâ virtutes eas condignè poſſit exponere .

Vitandæ tamen ſunt in initio ſimilitudines, quę ut in mediâ oratione magnam afferunt lucem rebus, de quibus agitur: ſic in exordiendâ causâ vitioſiſſimæ ſunt, præterquàm in quibuſdam cauſis, quæ, obſcuræ cum ſint, aliquo egent orationis lumine; idque ſimilitudinis beneficio aſſequuntur.

Tullius, & Quinctilianus admonent, in ſingulis orationis generibus Exordia aliquid peculiaris habere. In genere Demonſtrativo ea ſunt maximè libera, nam & longè a materiâ duci, & ex aliquâ re vicinâ poſſunt. In Deliberativo verò ſæpè nulla, vel brevia erunt; Orator enim non ut ſupplex accedit ad Judices, ſed ut Hortator ad Auditores, qui utplurimùm ſciunt, quâ de re conſultandum ſit. In genere Judiciali ex ipſis viſceribus cauſæ ſæpius haurienda ſunt: Judicem conciliando, & cauſæ noſtræ utilitatem oſtendendo.

In parvis, atque frequentibus cauſis, ſicut etiam in Honeſtis non ſemper veteres Oratores Exordio utebantur; ſed ab ipsâ re ſtatim incipiebant; ex quo fortaſſe tertiam Exordiorum ſpeciem, *ex abrupto* dictam Recentiores Rhetoricæ Magiſtri deduxerunt; quam cæteroquin apud Veteres alicujus nominis Oratores nuſquam legi, & tamquam inutilem prætermittendam cenſeo.

De Exordii Æconomiâ .

CAPUT VII.

ÆConomia, ſive ſtructura Exordii ex quatuor maximè componi videtur: *Expoſitione*, *Ratione*, *Redditione*, *Comprobatione* .

Expoſitio elicitur a locis Exordii, Ratio a Circumſtantiis. Redditio tangit ipſam rem, quam contendimus. Comprobatio cauſam Redditionis affert, quæ in Judiciali ſæpenumerò præmittitur, aut Redditioni conjungitur. Verùm in Demonſtrativo commodiſſimè poſt Redditionem dicitur, ſplendoremque auget Orationi.

Exemplum illuſtre proponit Voſſius in Oratione pro Leg. Manil., ubi expoſitio eſt iſta: *Quamquam mihi ſemper frequens conſpectus veſter multò jucundiſſimus, hic autem locus ad agendum ampliſſimus, ad dicendum ornatiſſimus eſt viſus, Quirites; tamen hoc aditu laudis, qui ſemper optimo cuique maximè patuit, non mea me voluntas, ſed meæ vitæ rationes ab ineunte ætate ſuſceptæ prohibuerunt.* Sequitur Ratio: *Nam cum antea per ætatem nondum hujus auctoritatem loci contingere auderem; ſtatueremque nihil huc, niſi perfectum ingenio, elaboratum induſtriâ afferri oportere: omne meum tempus amicorum temporibus tranſmittendum putavi. Ita neque hic locus vacuus umquam ab iis, qui veſtram cauſam defenderent; & meus labor in Privatorum periculis caſtè, integrèque verſatus ex veſtro judicio fructum eſt ampliſſimum conſecutus. Nam cum propter dilationem Comitiorum ter Prætor primus cunctis Centuriis renunciatus ſum, facilè intellexi, Quirites, & quid de me judicaretis, & quid aliis præſcriberetis.* Hinc incipit Redditio. *Nunc cum & auctoritatis in me tantum ſit, quantum vos honoribus mandatum eſſe voluiſtis, & ad agendum facultatis tantum, quantum homini vigilanti ex forenſi uſu prope quotidiana dicendi exercitatio potuit afferre: Certè & ſi quid etiam dicendo conſequi poſſum: iis oſtendam potiſſimùm, qui ei quoque rei fructum ſuo judicio tribuendum eſſe cenſuerunt.* At Comprobatio iſtis continetur verbis. *Atqui illud in primis lætandum jure eſſe video;*

deo; quòd in hâc inſolitâ mihi ex hoc loco ratione dicendi, cauſa talis oblata eſt, in quâ oratio nemini deeſſe poteſt. Dicendum eſt enim de Cn. Pomp. ſingulari, eximiâque virtute. Hujuſce autem orationis difficilius eſt exitum, quàm principium invenire. Itaque non mihi tam copia, quàm modus in dicendo quærēdus eſt.

Ut Exordium ſit ex arte conſtructum: in eo lateant prima ſemina amplificationis, & affectuum, quibus impellere Auditorem leniter videamur.

Oratorii numeri ſuavitas, & periodorum venuſtas, uſitataque verborum conſuetudo adhibenda eſt; ut quoddam ornamentum, & dignitatem Exordium contineat. Non ita tamen elaboretur, ut apparata eſſe (1.) videatur Oratio.

Affectibus ferè ſemper lenioribus utamur. Quod ſi aliquando graves occurrant: ſint tantùm quaſi inchoati; nondum enim exarſit Orator, ſed ſenſim progreditur, & aſſurgit.

De Exordii Vitiis.

CAPUT VIII.

SEx vitia aſſignantur ex Tul. de Jnvent. Exordium nempe *vulgare*, *commune*, *mutabile*, *longum*, *ſeparatum*, *translatum contra præcepta*.

Exordium vulgare eſt, quod pluribus cauſis accommodari, & convenire videtur.

Commune eſt, quo nihilominùs Adverſarius poteſt uti. Quod ſi contrariæ cauſæ leviter commutatum aptari poſſit: Commutabile dicitur.

Longum, quod pluribus verbis, & ſententiis ultra quam ſatis eſt, producitur.

Separatum quod non ex ipsâ causâ eſt erutum; tametſi

(1.) *Ad Her. lib. 1.*

tametſi hoc in genere Demonſtrativo aliquando locum habeat.

Translatum denique, quod aliud conficit, quàm genus cauſæ poſtulat. Ut ſi is docilem faciat Auditorem, cum benevolum cauſa exigat; aut utatur principio; cum Inſinuationem res poſtulet.

Etiam improbari ſolent Exordia, quæ nimis ſunt magnifica, ſeu tumida, atque arrogantia; quod vitium reprobat Horat. Epiſt. ad Piſ.

Non ſic incipies ut Scriptor Cyclicus olim.
Fortunam Priami cantabo, & nobile bellum.
Quid dignum tanto feret hic Promiſſor hiatu?
Parturient montes: naſcetur ridiculus mus.

De Narratione.

CAPUT IX.

NArratio (1.) *eſt rerum explicatio, & quædam quaſi ſedes, ac fundamentum conſtituendæ fidei*. Hæc itaque rem geſtam, ut geſta eſt à principio ad finem uſque exponit; atque in exponendo ſemina quædam argumentationum ſpargit, quæ ſint tanquam totius Confirmationis fundamenta. Initium enim Confirmationis eſt ipſa Narratio, ſine quâ non modò confirmari cauſa non poteſt, ſed ne intelligi quidem.

Hanc interdum Narrationis quoddam *Præludium*, & quaſi dicas *præcedens Expoſitio* antecedit: cum ſcilicet rei geſtæ ſummam exponimus ante juſtam, & plenam Narrationem. Exemplum habemus in Orat. pro Roſc. Amer. *forſitan quæratis, qui iſte terror ſit, & quæ tanta formido, quæ tot,* ac

(1.) *Cic. de Part. Orat.*

ac tales viros impediat, quò minùs pro capite, & fortunis alterius, quemadmodùm conſueverunt, cauſam velint dicere. Quod adhuc vos ignorare non mirum eſt; propterea quod conſultò ab Accuſatoribus, ejus rei, quæ conflavit hoc judicium, mentio facta non eſt. Quæ res ea eſt? bona Patris hujuſce Sex. Roſ. quæ ſunt ſexagies &c. uſque ad illa verba: *atque ut faciliùs intelligere poſſitis, ea, quæ facta ſunt, indigniora eſſe, quàm hæc ſunt, quæ dicimus: res quemadmodùm geſta ſit, vobis exponemus.*

Raró tamen (2.) hac præviâ Narratione utendum; cum ſæpiùs iterata tædium ſoleant afferre. Huic verò eſt locus, cum metuimus; ne illico cauſam noſtram damnet Auditor; ac propterea Narratiunculæ tali injicienda eſt qualiſcumque Suſpicio æquitatis.

Tria Narrationum genera admittit Aphtonius: *Hiſtoricum*, quo res veræ conficiuntur: *Drammaticum*, quo Fabulæ, & Comediæ, atque Tragædiæ utuntur: *Politicum*, quod ad cauſas Civiles pertinet.

Hoc Civile Narrationis genus duas habet partes, ùt docet Tullius: (3.) unam, in quâ cauſa, & omnis ratio Controverſiæ continetur: alteram in quâ digreſſio aliqua extra cauſam, aut criminationis, aut ſimilitudinis, aut delectationis non alienæ ab eo negotio, de quo agitur, aut amplificationis ergô interponitur.

Poſterioris hujus Narrationis exemplum habes in Verrinis de raptu Proſerpinæ. Priori verò ſex illa ferè ſemper accidunt, quæ vulgò *Circumſtantiæ* dicuntur: *Perſona, res, cauſa, locus, tempus, & modus.* Ita in Narratione pro Mil. a Perſonâ incipit. *P. Clodius cum ſtatuiſſet omni ſcelere in Præ-*

 turâ

(2.) *Voſſ. lib.* 3. c. 5. (3.) *de Part. Orat.*

turâ vexare Remp. &c. Rem, ideſt negotium factum exponit. *Româ ſubitò ipſe profectus eſt pridiè &c.* Cauſas multas affert, ſed illam præcipuè: *occurrebat mancam, ac debilem Præturam ſuam futuram Conſule Milone &c.* Locum ibi notat: *ut ante fundum ſuum Miloni inſidias collocaret &c.* Tēpus etiam explicat: *Fit obviam Clodio ante fundum ejus horâ ferè undecimâ, aut non multò ſecus &c.* Modus denique ponitur. *Statim complures cum telis in hunc faciunt de loco ſuperiore impetum &c.*

Hujuſmodi Narratio non ſemper locum habet: Nam quæ Narratio ſit, ſi quæratur; num Pubertas judicetur annis potiùs, quàm habitu corporis? Fraternè ex inteſtato ſit hæres, an Pater? Quorſum etiam adhibeatur illa, ſi eodem referemus modo, quo Adverſarius? aut ſi Judicibus res ſit notiſſima?

De Narrationis Speciebus.

CAPUT X.

NArratio, in quâ cauſa continetur, dividitur in *Continuam*, & *interciſam*.

Continuæ exemplum eſt apud Tullium in Manilianâ. *Atque ut inde oratio mea proficiſcatur, unde hæc omnis cauſa ducitur: Bellum grave, & periculoſum veſtris vectigalibus, atque Sociis a duobus potentiſſimis Regibus infertur, Mitridate, & Tigrane, quorum alter relictus, alter laceſſitus, occaſionem ſibi ad occupandam Aſiam oblatam eſſe arbitratur. Equitibus Romanis, honeſtiſſimis Viris afferuntur ex Aſiâ quotidiè literæ, quorum magnæ res aguntur in veſtris vectigalibus exercendis occupatæ: qui ad me pro neceſſitudine, quæ mihi eſt cum illo Ordine cauſam Reip. periculaque rerum ſuarum detulerunt; Bithiniæ, quæ*

tunc

nunc noſtra provincia eſt, vicos exuſtos eſſe complures: regnum Ariobarzanis, quod finitimum eſt veſtris vectigalibus, totum eſſe in hoſtium poteſtate: Lucullum, magnis rebus geſtis, ab eo bello diſcedere: huic, qui ſuccurrerit, non ſatis eſſe paratum ad tantum bellum adminiſtrandum: unum ab omnibus Sociis, & Civibus, ad id bellum Imperatorem depoſci, atque expeti: eumdem hunc unum ab hoſtibus metui, præterea neminem.

Narrationis interciſæ exemplum deſumes pro A. Cluen. Ejus initium eſt. *Aul. Cluen. habitus fuit Pater hujuſce &c.* Cum poſtea longiuſculam retuliſſet narrationem de Cluentii Matre, iſta interſerit. *O Mulieris ſcelus incredibile, & præter hanc unam in omni vitâ inauditum! O libidinem effrenatam, & indomitam! O audaciam ſingularem! Non timuiſſe, ſi minùs vim Deorum, hominumque famam, at illam ipſam noctem, faceſque illas nuptiales? Non limen cubiculi, non cubile Filiæ, non parietes denique ipſos ſuperiorum teſtes nuptiarum? Perfregit, ac proſtravit omnia cupiditate, ac furore. Vicit pudorem libido, timorem audacia, rationem amentia.* Hinc reliquam narrationẽ pertexit: *Tulit hoc commune dedecus jam familiæ, cognationis, nominis graviter filius &c.*

Voſſius docet Narratione interciſâ uti Oratorem poſſe in genere Demonſtrativo; & tunc ad Confirmationem pertinet; quia omnis ibi cauſa è rebus geſtis ſtabilitur: neque aliud in eo genere erit Confirmatio, quàm Narratio quædam per amplificationes, atque exaggerationes interrupta.

Habet verò & illa locum in causâ Juridiciali; idque, cum res geſtæ nobis obſunt. Tunc enim ſatiùs eſt, rem per partes exponere; ut ſingulis, quæ objici poſſunt, per partes quoque reſpondeatur.

Item eam uſurpamus, ſi res ſingulæ invidiam afferant Adverſario. Nam ſingulis tum partibus

immorando conſequimur; ut ſæpiùs Adverſario iraſcatur Judex.

Quando nihil eſt horum: continuâ Narratione uti expedit.

De Dotibus Narrationis.

CAPUT XI.

Quoniam ad fidem faciendam præſertim valet, ut rem intelligant Auditores: ut meminerint: ut credant; ideò tres in Narratione dotes requiruntur: ut ſit *brevis*, *dilucida*, *& probabilis*.

Brevis erit Narratio, ſi nimis altè non repetatur; quod Horatius etiam monet.

Nec gemino bellum Trojanum orditur ab ovo.

Si non aberretur a propoſito; ſimpliciterque res exponantur, non per verborum circuitionem. Si denique ſupervacanea reſecet; non omittat autem neceſſaria. Hinc melius erit, aliquid Narrationi ſupereſſe, quàm deeſſe. Supervacanea enim cum tædio audiuntur: neceſſaria cum periculo ſubtrahuntur. Sic Cic. Narrationes pro Roſ. Amer. pro Quinct. pro Mil. prolixæ eſſe debebant; quoniam opus erat in eis judiciis bene cauſam exponere; cum aliter, quàm Cic. ſentire Judices viderentur.

Fit Narratio dilucida, ſi exponatur res veluti eſt geſta, non contortè, non perturbatè, non ambiguè, ſervato ordine temporum, verbis uſitatis, & claris.

Fit probabilis, ſi omnia, quæ dicuntur, quadrent locis, Perſonis, temporibus: ſi cauſæ rei, & eventa proponantur: ſi hominum auctoritate, opinione, conſuetudine, more, lege probentur.

A loco igitur fit probabilis Narratio; imò ab

eo

eo exorditur: ut in Ver. *Oppidum eſt in Helleſponto Lampſacum, Judices &c.*

A Perſonâ; in quâ conſideratur *nomen, natura, victus, fortuna, habitus, affectio, ſtudia, conſilia, facta, caſus, orationes*; de quibus frequentiſſima ſunt apud Ciceronem exempla.

A Tempore. Sic Cic. pro Mil. probat inſidias a Clodio Miloni factas; quoniam eodem tempore Milo Conſulatum petebat, quo Clodius Præturam.

Si Cauſæ rei, & Eventa ponantur. V. g. Cur Clodius inſidias Miloni fecit? quia occurrebat ei mancam, ac debilem Præturam ſuam futuram Conſule Milone. Cur ſervos Clodius congregavit? Cur delectum perditiſſimorum Civium habuit? Cur expeditus in equo, nullâ rhedâ, nullis græcis comitibus, ut antea ſolebat, nullis impedimentis Româ profectus eſt? Nempe ut inſidias strueret. Cur igitur victus eſt? quia non ſemper viator a latrone, nonnumquam etiam latro a viatore occiditur.

Si cum auctoritate Conjuncta. Nam Viris auctoritate præditis faciliùs creditur; cum nulla in eos cadat mendacii ſuſpicio.

Si cum Lege; ut pro Mil. Cic. lege naturæ probat unicuique licere vim vi repellere. *Eſt enim hæc, Judices, non ſcripta, ſed nata lex, quam non didicimus, accepimus, legimus; verùm ex naturâ ipsâ arripuimus, hauſimus, expreſſimus &c.*

Si cum More, & Conſuetudine; ut ibidem. *Sin hoc & ratio doctis, & neceſſitas barbaris, & mos gentibus, & feris natura ipſa præſcripſit; ut omnem ſemper vim, quâcumque ope poſſent, a corpore, a capite, a vitâ ſuâ propulſarent &c.*

Addunt quidam quartam Narrationis dotem ſcilicet Suavitatem, quam Cic. in part. Orat. octo rebus conſequi poſſe docet.

I. Ad-

1. Admiratione, quæ excitatur, cum aut magna, aut nova, & inaudita dicimus. Ita Cic. Phil. 5. magnum, & inauditum oſtendit eſſe factum Cæſaris Octaviani, quod adoleſcens, ac pene puer exercitum veteranorum comparârit: Patrimonium effuderit; & M. Antonii furori obſtiterit. *Multa, inquit memini: multa audivi: multa legi; nihil ex omnium ſæculorum memoriâ tale cognovi.*

2. Expectatione. Expectatio valde delectat; cum dubitent Auditores, quò res ſit evaſura. Ut pro Aul. Cluen. *Cum eſſent hæ Nuptiæ plenæ dignitatis, plenæ concordiæ, repente eſt exorta mulieris importunæ nefaria libido, non ſolùm dedecore, verùm etiam ſcelere conjuncta.* Hâc de causâ multi fiunt circuitus verborum, & præparationes in dicendo; ut major expectatio concitetur.

3. Exitu inopinato, qui ſi felix appareat, ſummam affert jucunditatem.

4. Motibus animorum interpoſitis. Nam ut ait Ariſt. (1.) in omni animi motu ineſt quædam jucunditas. Pro Aul. Cluen. de Saſſiâ Cluentii Matre: *deinde ita flagrare cœpit amentiâ, ſic inflammata ferri libidine; ut eam non pudor, non pudicitia, non pietas, non macula Familiæ, non hominum fama, non Filii dolor, non Filiæ mæror, a cupiditate revocaret. Animum adoleſcentis nondum conſilio, ac ratione firmatum pellexit &c.*

5. Colloquiis Perſonarum.

6. Doloribus expreſſis. Ineſt quippe quædam in dolore jucunditas. Ut pro Aul. Cluen. *In hujus amantiſſimi ſui Fratris manibus, & gremio, mærore, & lacrimis conſeneſcebat.*

7. Iracundiâ, metu, & lætitiâ. His ſanè affectibus

(1.) *lib. 1. Rhet.*

ctibus ſuavitatem quamdam induit Narratio.

8. Cupiditatibus enunciatis; ut pro Roſ. Amer. *hoc conſilio, atque adeò hâc amentiâ impulſi, quem ipſi, cum cuperent, non potuerunt occidere, eum jugulandum vobis tradiderunt.*

Poſt (1.) Narrationem ſæpè veluti ſpiritu erumpente digredimur. Non tamen digreſſio, vel ſolam ſequitur Narrationem, vel ſemper; ſed ſi opportunè, aptèque fiat, plurimùm illuſtrat orationem. Quomodò tractanda digreſſio ſit: cum de figuris, jam explicavimus.

De Propoſitione.

CAPUT XII.

Poſt digreſſionem, ſi qua ſit, ſin minùs poſt Narrationem, aut hæc quoque ſi abſit, poſt Exordium admittitur *Propoſitio*, quâ ſumma totius Orationis proponitur.

Hæc teſte Quinct. (2.) Videtur Confirmationis initium; quæ ſemper non eſt neceſſaria, ſed nonnumquam valde utilis: præcipuè ubi res defendi non poteſt; aliquando autem, ut magis moveat.

Triplex eſt propoſitio: *Sejuncta*, *Simplex*, & *digeſta*.

Propoſitio ſejuncta ea dicitur, cum definitur *in quo conveniat cum Adverſario, & quid in controverſiâ relinquatur*; ut pro Mil. *Sin hoc nemo Veſtrum ita ſentit: illud in judicium venit: non, occiſusnè ſit, quod fatemur: ſed jure, an injuriâ; quod multis antea in cauſis jam quæſitum eſt.*

Propoſitio ſimplex vocatur, *in quâ unum aliquid proponitur*; ut in eâdem Orat. *Nunc quid igitur aliud in judicium venit; niſi uter utri inſidias fecerit?*

Pro-

(1.) *Voſſ. lib. 3. cap. 5.* (2.) *lib. 4. cap. 4.*

Propoſitio digeſta, ſive per enumerationem fit; *cum quot, & quibus de rebus dicturi ſimus, oſtendimus.*

Hæc *Partitio* vocatur, in quâ tria præcipuè ſervanda ſunt. Primùm ne nimia partium multitudo fiat; nam duas, aut tres, aut ad ſummum quatuor tantùm facere partes opus eſt; deinde ut eodem ordine partes proſequamur, quo propoſuimus; tum ut ſumma genera complectamur; neque ſpecies cum generibus miſceamus. Exemplum partitionis habes in 7. Philip. *Cur pacem nolo? quia turpis eſt; quia periculoſa; quia eſſe non poteſt. Quæ tria dum explico, peto a vobis P. C. ut eâdem benignitate, quâ ſoletis, verba mea audiatis.*

Partitione tamen abſtinendum cenſeo, niſi cauſa vel multiplex ſit, vel obſcura. Quando autem eâ utendum eſt: cum perſpicua, tum etiam brevis eſſe debet; ne confuſionem Audientibus pariat, contra quam partitio inventa eſt.

De Confirmatione.

CAPUT XIII.

Tota ratio perſuadendi, vincendique ſpes poſita eſt in Confirmatione, ad quam omnes ſuperiores partes referuntur; quia totius diſputationis meta eſt perſuadere.

Confirmatio igitur partim adhibetur, cum ſententiam noſtram probamus argumentis: partim cum Adverſarii opinionem argumentis convellimus: partim denique cum ad argumenta ejuſdem reſpondemus. Prima pars propriè dicitur Confirmatio: ſecunda & tertia Refutationis nomine continetur.

Refutatio, ſive Reprehenſio interdum Confirma-

tio-

tionem præcedit; ut pro M. Cæl. & pro Mil. Interdum ſubſequitur Confirmationem; ut pro leg. Man. Sæpè etiam confunditur, & commiſcetur Confirmationi; ut pro Mur. pro Flacc. pro Cluen. Quâ de causâ Cic. & Ariſt. hanc unam tantùm Orationis partem efficiunt, quæ ex Confirmatione, & Refutatione conſtet; licèt Quinct. aliter ſentiat.

Certior tamen regula duabus his partibus utendi eſt; ut, qui prior dicit, priùs & ſuam ſententiam probet, & alienam impugnet; poſteriùs jis reſpondeat, quæ objici poſſunt. At qui poſterior dicit, priùs ſolvat alterius partis argumenta, & poſtea ſuam ſententiam confirmet.

Illud verò ſtudium maximè in Confirmatione requiritur; ut non tam elaboret Orator, ut proſit cauſæ, quàm effugiat accuratè, ne obſit. Hoc autem evenit.

1. Quoties Orator laceſſit, & provocat Adverſarios; cum eorum dicta refutare penitus non poſſit.

2. Si ita rem tractet, ut potiùs exulceret, quàm medicinam faciat.

3. Cum nimis laudat, quod extenuandum eſt ad levandam invidiam.

4. Cum imprudenter deteſtatur, quæ grata ſunt Auditoribus.

5. Cum ſuam perpetuò agit cauſam; & in rem ſuam omnem Orationem convertit.

6. Cum apertè falſa dicit, aut ab opinione, & uſu remota, aut repugnantia.

Denique quoties attingit, quæ ab Adverſariis pro fortiſſimis uſurpantur; atque ea in medio relinquit, quaſi tacitè approbare videatur.

In Confirmatione duo ſpectantur: *Argumentum*, & *Argumentatio*; quæ differunt, ut *pars*, & *totum*; nam

nam argumentum ſola ratio eſt : argumentatio verò præter rationem etiam concluſionem comprehendit.

De Argumento, & Argumentatione.

CAPUT XIV.

Argumentum definitur a Tullio (1.) *Ratio, quæ rei dubiæ fidem faciat*. Hæc autem ratio quandoque certa eſt ; quandoque verò probabilis, & veriſimilis tantùm : *Rhetorica enim*, inquit Quinct. (2.) *non utique propoſitum habet ſemper vera dicendi, ſed etiam veroſimilia.*

Argumentatio (3.) eſt *artificioſa argumenti expolitio*.

Argumentationum genera præcipua ſunt quatuor: *Sylogiſmus*, *Enthymema*, *Inductio*, & *Exemplum*. Alii alia enumerant, veluti *Epicheremma*, *Dilemma*, *Soritem*, & *Inverſionẽ*. Sed cum Eloquentiæ vix ulli ſint fere uſui : ideò in jis explicandis parum immorabimur.

De Sylogiſmo.

CAPUT XV.

Sylogiſmus eſt *Oratio tribus conſtans pronunciatis, quorum poſtremum è duobus prioribus conſequitur*. Primum pronunciatum dicitur *Propoſitio*: alterum *Aſſumptio*: tertium *Complexio*, ſive *Concluſio*. V.g. Inſidiatorem licet occidere : Clodius inſidiator eſt; ergo Clodium licet occidere.

Ora-

(1.) 2. *de Orat.* (3.) *Cic. 1. Top. cap. 3.*
(2.) *Lib. 10. cap. 3:*

Orator non ſemper utitur Sylogiſmo eodem modo ac Dialectici; differunt enim inter ſe, & numero pronunciatorum, & ordine. Nam Orator non rarò apponit, & propoſitionis, & aſſumptionis probationem; ita ut fiat Sylogiſmus quinque partitus, cujus prior ſit Propoſitio; altera Propoſitionis ratio: tertia Aſſumptio: quarta ejus probatio: poſtrema Concluſio. Quod ſi alterutra propoſitio fuerit perſpicua: ratio ejus omittitur. Hinc Sylogiſmus quadripartitus efficitur.

Naturalis etiam hæc partium collocatio ſæpiſſimè immutatur; ita ut interdum *Aſſumptio* primum obtineat locum. Imò nonnunquam etiam contrario planè ordine a *Concluſione* per *Aſſumptionem* ad *Propoſitionem* aſcendit. En exemplum: Incipit Tullius a Concluſione, quâ ad Præmiſſas accedit pro Mil. cum ait: *Quonam igitur pacto probari poteſt, inſidias Miloni feciſſe Clodium? Satis eſt quidem in illâ tam audaci, tam nefariâ belluâ docere, magnam ei cauſam, magnam ſpem in Milonis morte propoſitam, magnas utilitates fuiſſe. Itaque illud Caſſianum, CUI BONO FUERIT, in his Perſonis valeat: & ſi boni nullo emolumento impelluntur in fraudem, improbi ſæpè parvo. Atqui, Milone interfecto, Clodius hoc aſſequebatur, non modò, ut Prætor eſſet, non eo Conſule, quo ſceleris nihil facere poſſet; ſed etiam ut his Conſulibus Prætor eſſet, quibus, ſi non adjuvantibus, at conniventibus certè ſperaſſet, ſe poſſe Rempubl. eludere in illis ſuis cogitatis furoribus; cujus illi conatus (ut ille ratiocinabatur) nec, ſi cuperent, reprimere poſſent; cum tantum beneficium ei ſe debere arbitrarentur; et ſi vellent, fortaſſe vix poſſent frangere hominis ſceleratiſſimi corroboratam jam vetuſtate audaciam*. En Tullii Sylogiſmum a *Complexione* inceptum: Clodius inſidias fecit Miloni. Huic ſubjecit *Propoſitionem*: Is enim fecit, cui

pro-

proderat mors alterius,quod Caſſii dicto confirmat: Definit verò *Aſſumptione* : atqui Clodio proderat mors Milonis; quod ſic comprobat, quia mortuo Milone eos habiturus erat Conſules, quibus, vel conniventibus, vel etiam juvantibus turbare in Præturâ ſuâ poſſet Rempublicam.

Ut pro Mil. definit Tul. *Aſſumptione*,& ejus probatione: ita pro Cæl definit Propoſitione, & ejus ratione; Naturalis enim ſylogiſmi ordo hujuſmodi foret. Non eſt veroſimile, eum, qui ſtudiis bonarũ artiũ eſt addictus, vivere luxurioſè: atqui Cælius bonarum artium ſtudiis eſt addictus; Ergo &c. Sed ipſe priùs oſtendit, Cælium honeſtis artium ſtudiis vacare; hinc probat, in iſto hominum genere non facilè luxuriem inveniri. Audiamus illum ibidem. *At verò in M. Cælio (dicam enim jam confidentiùs de ſtudiis ejus boneſtis; quoniam audeo quædam fretus veſtrâ ſapientiâ liberè confiteri) nulla luxuries reperietur, nulli ſumptus, nullum æs alienum, nulla conviviorum, ac luſtrorum libido: quod quidem vitium ventris, & gutturis non modò non minuit ætas hominibus, ſed etiam auget; amores autem, & hæ deliciæ, quæ vocantur, quæ firmiore animo præditis diutiùs moleſtæ non ſolent eſſe (maturè enim, & celeriter defloreſcunt) nunquam hunc occupatum, impeditumque tenuerunt.* Hæc ſi paucis cõprehendas, ſonant: Cælius Artiũ ſtudiis vacat: quod ita eſſe Cic. deinceps probat ab effectis: *Audiſtis, cum pro ſe diceret, audiſtis antea, cum accuſaret. Defendendi hæc causâ, non gloriandi loquor. Genus orationis, facultatem, copiam ſententiarum, atque verborum, quæ veſtra prudentia eſt, proſpexiſtis; atque in eo non ſolùm ingenium elucere ejus videbatis, quod ſæpè etiam, ſi induſtriâ non alitur, valet tamen ipſum ſuis viribus; ſed inerat, niſi me propter benevolentiam fortè fallebat oratio & bonis artibus inſtituta, & curis, & vigiliis*

gíliis elaborata. Et talis eſt *Aſſumptionis* probatio: *Propoſitio* autem hujuſmodi eſt. Parum eſt veroſimile, eum luxurioſè vivere, qui bonarum ſe Artium ſtudiis addixit, quam poſtea Orator ſubjicit: *Atqui ſcitote, Judices, eas cupiditates, quæ objiciuntur Cælio, atque hæc ſtudia, de quibus diſputo, non facilè in eodem homine eſſe poſſe*. Hanc Propoſitionem confirmat argumento ex impoſſibili ducto. *Fieri enim non poteſt, ut animus libidini deditus, amore, deſiderio, cupiditate, ſæpè nimiâ copia, inopiâ etiam nonnunquam impeditus, hoc, quidquid eſt, quod nos facimus, in dicendo, non modò agendo, verùm etiam cogitando poſſit ſuſtinere*.

Advertendum, quod ſi complexio argumentationis per ſe ſit manifeſta, prætermitti debet; moleſtum enim, & puerile eſt concluſionem adhibere; cum omnes intelligunt, quid ex propoſitis ſequatur.

Item quæ ſatis aperta ſunt, breviter ponantur; Nimiùm enim altercando veritas amittitur; & qui de rebus apertis diſputat: eas in dubium quodammodò revocare videtur. Sic pro Mil. *Inſidiatori verò, & latroni quæ poteſt afferri injuſta nex?*

De Enthymemate.

CAPUT XVI.

OMnis Ratiocinatio, quæ oratorio more tractatur, Enthymematis nomine comprehenditur. Cic. docet, Enthymema eſſe quamlibet acutam ſententiam, quæ ex pugnantibus conſtat, ut *ſervare potui: perdere an poſſim rogas?*

Ariſtoteles videtur illud definire *Sylogiſmum imperfectum*, in quo nempe vel Propoſitio, vel Aſſumptio tanquam manifeſta omittatur; ut ex

Cicer. Philip. 5. *Pacem vult Antonius? Arma ponat, roget, deprecetur*. Quod idem eſt, ac ſi diceret: non arma ponit Antonius; ergo non vult pacem.

Principes Oratoriæ facultatis Inſtitutores docent, illud verum & ſolum eſſe Enthymema, quod ex contrariis, & repugnantibus conficitur. Ita Cic. pro Ser. Roſc. probat ab hujuſmodi Enthymemate, Roſcium non occidiſſe Patrem, quia ejus vita, ætas, mores nimiùm repugnabant tanto facinori. *Patrem occidit Sex Roſcius? Qui homo? Adoleſcentulus corruptus, & ab hominibus nequam inductus? Annos natus magis quadraginta: vetus videlicet ſicarius, homo audax, & ſæpè in cæde verſatus? At hoc ab Accuſatore ne dici quidem audiviſtis. Luxuries igitur hominem nimirum, & æris alieni magnitudo, & indomitæ animi cupiditates ad hoc ſcelus impulerunt? De luxuriâ purgavit Erucius; cum dixit, hunc ne in convivio quidem ullo ferè interfuiſſe. Nihil autem unquam debuit. Cupiditates porro quî poſſunt eſſe in eo, qui (ut ipſe Accuſator objecit) ruri ſemper habitârit, & in agro colendo vixerit? Quæ vita maximè disjuncta a cupiditate, & cum officio conjuncta.*

De Inductione.

CAPUT XVII.

INductio (1.) eſt *Rhetorica Oratio, quæ rem unam ex pluribus ſimilibus, & ſingularibus experimentis ſenſibus ſubjectis probabiliter, aptèque colligit*. V. g. Aurum in igne purgatur; tellus ligonis vulneribus ſciſſa Cultior fit, & fæcundior; niteſcit gladius ad cotem attritus; evadunt hominum corpora laboribus robuſtiora; ſemina in ſolo putrefacta vividiùs germinant; mundatur triticum cribro

(1.) *Hier. Reg. com.* 3.

bro agitatum; ergo virtus in adverſis magis ma- giſque perficitur, & roboratur.

Inductio Socratica, quâ ſcilicet Socrates frequentiſſimè utebatur ea eſt (1.) quæ fit, *cum ex pluribus partibus interrogatis, quas facere adverſarium neceſſe eſt, illud inferimus, de quo eſt controverſia, ſimile conceſſis*. Exemplum hujuſmodi inductionis eſt apud Tul. de invent., ubi refert Socratis Artificium, quo inducit cum Xenophontis Uxore, & cum ipſo Xenophonte Aſpaſiam loquentem. *Dic mihi quæſo Xenophontis Uxor, ſi vicina tua melius habeat aurum, quàm tu habes: utrùm illius an tuum malis? Illius, inquit. Quid ſi veſtem, & cæterum ornatum muliebrem pretii majoris habeat, quàm tu habes: tuum ne, an illius malis? Illius verò reſpondit. Age, inquit: ſi virum illa meliorem habeat, quàm tu habes: utrùm ne tuum, an illius malis? Hic mulier erubuit. Aſpaſia autem cum ipſo Xenophonte ſermonem inſtituit. Quæſo, inquit Xenophon. Si vicinus tuus equum meliorem habeat, quàm tuus eſt: tuum ne equum malis, an illius? Illius inquit. Quid ſi fundum meliorem habeat, quàm tu habes: utrum tandem fundum habere malis? Illum, inquit, meliorem ſcilicet. Quid, ſi Uxorem meliorem habeat, quàm tu habes, utram malis? Atque hic Xenophon quoque ipſe conticuit. Poſt Aſpaſia. Quoniam uterque veſtrum, inquit, id mihi ſolùm non reſpondit, quod ego ſolùm audire volueram: ego met dicam quid uterque cogitet; nam & tu mulier optimum virum mavis habere, & tu Xenophon uxorem habere lectiſſimam maximè vis.*

In hujuſmodi inductione tria nobis præcipere videtur idem Tul. (3.) 1. Ne propoſita jure negari poſſint; 2. ut manifeſtè ſimilia ſint ei, quod inferre

(2.) *Ibid.* (2.) *de Inv.*

ferre volumus; 3. ſi adverſarium interrogemus repentinâ interrogatione: curetur, ne ſentiat, ad quem finem tendat interrogatio; nam ſi ſentit, aut non reſpondendo, aut malè reſpondendo ulteriùs inductionem protrhai non ſinet. Hinc eſt, quod tribus modis infirmetur hæc argumentatio; 1. Si non reſpondes, aut malè reſpondes; 2. Si negas quæ dicuntur; 3. denique, ſi diſſimilia eſſe commonſtres.

Hæc autem Socratica inductio in Judiciali genere, & Deliberativo potiorem locum habere videtur.

De Exemplo.

CAPUT XVIII.

EXemplum eſt *Inductio imperfecta; cum nempe unum ex altero colligitur ob ſimilitudinem, quæ in utroque reperitur*. Hoc in omni genere cauſarum efficaciſſimum eſſe teſtatur Quinctil: (1.) Deſumi quidem poſſunt Exempla non tantùm ab Hiſtoriis, ſed etiam ex fabulis, atque ex eorum geſtis, apud quos Oratio habetur. Ita Cic., cum adverſarii Milonis dixiſſent, nefas eſſe illi, qui a ſe hominem occiſum fateretur, lucem intueri, probat, id eſſe falſum multis exemplis, ut Horatii, qui Sororem interfecit, & tamen fuit abſolutus; ut Halæ, qui Sp: Melium: Naſicæ, qui Tib. Gracchum: Marii, qui Saturninum occidit.

Quinctil: tria ponit Exemplorum genera: *Simile, Diſſimile, Contrarium*. Simile eſt. *Jure occiſus eſt Saturninus ſicut Gracchus*. Diſſimile: *Brutus occidit Liberos proditionem molientes: Manlius virtutem filii mor-*

(1.) *lib. 2. cap. 4.*

morte mulctavit. Contrarium: *Marcellus ornamenta Siracuſanis hoſtibus reſtituit: Verres eadem ſociis abſtulit*.

Ariſt. duo vult eſſe, ex quibus univerſa vis Oratoria in Deliberationibus conſletur: *Exemplum*, & *Enthymema*. Non enim ſatis habet Orator rationes afferre, quibus aliquid faciendum, aut non faciendum ſuadeat, ſed eas etiam exemplis confirmare debet. Sic Cic. ſuaſurus bellum contra Mithridatem, multa ſtatim Majorum exempla commemorat; deinde eum locum ita enumerando concludit. *Quarè ſi propter ſocios, nullâ ipſi injuriâ laceſſiti Majores veſtri cum Antiocho, cum Ætolis, cum Pænis bella geſſerunt, quanto vos ſtudio convenit injuriis provocatos, ſociorum ſalutem unà cum Imperii veſtri dignitate defendere?*

De reliquis Argumentationum generibus.

CAPUT XIX.

EPicheremma eſt brevis ratiocinatio unicâ conſtans Propoſitione, quâ incerta ex certis concludit. Hujuſmodi eſt illud Virgilianum.

Et dubitamus adhuc virtutem extendere factis? quaſi diceret, Amantes virtutis eam factis extendunt: nos amamus virtutem; factis igitur eamdem extendamus.

Ad id argumentationis genus videntur referri præcepta, quæ tradit Tullius, ob variandam argumentationem; cum ſcilicet argumentamur per interrogationem, vel per optationem, vel per ſubjectionem. Frequentiſſima ſunt hujuſce generis exempla apud eumdem. Ita pro Mil. *Cur veſperi? Quid neceſſe eſt tardè? Quid convenit, præſertim id temporis? divertit in Villam Pompeii? Pom-*

pejum ut videret ? Sciebat in Alſienſi eſſe procul inde. Villam ut perſpiceret ? Millies in eâ fuerat. Quid ergo erat moræ, & tergiverſationis ? Dum hic veniret, locum relinquere noluit.

Dilemma, quod Rhetores *Complexionem* vocant, eſt *argumentum ex duobus membris repugnantibus conſtitutum, quod utrumvis conceſſeris, reprebendetur; & adverſarium ex utrâque parte feriet*. Ita Cic. in Catil. 2. *Diſcede, & hunc mihi timorem eripe : ſi verus, ne opprimar: ſin falſus, ut tandem aliquando timere deſinam*. Hoc argumentandi genus ad hipotheticum ſemper reducitur.

Sorites eſt argumentatio, quæ multas argumentationes convolvit, quibus ad Complexionem quibuſdam veluti gradibus pervenimus; Exemplum deſumi poterit à Tul. 5. Tuſc. *Quod bonum ſit, id expetendum; quod expetendum, id certè approbandum; quod approbandum, id certè gratum, acceptumque habendum; ergo etiam dignitas ei tribuenda eſt : bonum igitur omne laudabile; ex quo efficitur, ut quod ſit honeſtum, id ſit ſolùm bonum.*

Hæc tamen argumentandi ratio fallax ſæpè eſt; & vitioſa ab eodem Tul. appellatur. Nam ſi vel unum falſum ſit, totum corruit; ideòque eloquentiæ vix ulli unquam uſui eſſe debet.

Inverſio eſt contraria ſignorum Interpretatio, cum docemus, cauſam contra nos allatam nobis favere. ut *ſepeliſti, ergo interfeciſti. Imò ſi occidiſſem, non ſepeliſſem; ſatiùs fuiſſet relicto cadavere fugere*. Præclarè Phocion hortantibus Philippi legatis, ne regis munera repudiaret; nam ea Filiis ſaltem, ni ſibi, poterant prodeſſe, reſpondit (1.) *Si mei ſimiles erunt, idem hic agellus illos alet, qui me ad hanc dignitatem duxit; ſin diſſimiles mei ſunt futuri,*

(1.) *Nep. in Phoc. c. 1.*

futuri, nolo meis impenſis illorum ali, augerique luxuriam.

Quod ad ordinem argumentorum pertinet: firmiora partim in principio collocanda, quia tum maximè attendit auditor: partim in fine, quia, quæ poſtremò dicuntur, maximè inhærent; imbecilliora verò collocanda ſunt in medio, ubi magis latebit eorum infirmitas. At ſi cauſa duobus tantùm argumentis nitatur, quorum unum fortius, alterum infirmius ſit, tum imbecillius quidem ſubjiciemus validiori; ſed mox ad validius iterum recurremus.

De Epilogo.

CAPUT XX.

Ultima Orationis pars eſt Epilogus; latinè *Peroratio*, quæ ad movendos animos adhiberi ſolet; & ſimile quiddam habet cum Exordio. Nam ſicut in iſto conciliare nobis audientium animos ſtudemus: ita etiam in Peroratione; ſed ab eo differt in ratione affectuum. Exordium enim mitiores exigit motus, eos ſcilicet, qui *Mores* dicuntur; Peroratio verò eos, qui *Perturbationes*, vel *Commotiones* appellantur. Plurimùm reverà Oratori enitendum eſt in hac extremâ Orationis parte, ut ad ſævitiam Judices concitet, ſi accuſat; & ad miſericordiam, ſi defendit &c.

Interdum Epilogo opus non eſt, ut ſi vel brevicula ſit Oratio, vel cauſa admodùm tenuis.

Epilogi munus eſt duplex: Prius eſt enumeratio potiſſimorum argumentorum: Poſterius affectuum commotio. Sæpiſſimè etiam licet totam Orationem concludere per amplificationem; de quâ poſtea agemus.

Enumeratio habetur, cum ea, quæ ſparſim in totâ Oratione dicta fuerunt, breviter repetuntur, & enumerantur. Hæc autem in omnibus cauſis adhiberi poteſt; ſed accuſatori maximè convenit, qui quaſi ſub uno aſpectu omnia crimina ſtudet proponere. At reus enumeratione parciùs utatur. Crimina enim audita, ac renovata, tanquam aculei, mentes Judicum pungent; neque poſtea tempus erit medicinæ faciendæ; nec illa poſſunt niſi cum tædio rurſus refutari.

In enumeratione duo ſunt obſervanda: Unum, ut ea dumtaxat repetamus, in quibus cauſâ præcipuè conſiſtit, & quæ propterea velimus, Auditorum animis altiùs hærere. Omnia ſiquidem, etiamſi minutiſſima repetentes, Perorationem non inſtruemus; ſed nova conſurget Oratio. Alterum, ut eadem cum pondere aliquo dicantur, & aptis excitentur ſententiis, figuriſque variata exponantur.

Luculentum Perorationis exemplar habitæ per enumerationem ſit illud deſumptum ab Oratione pro Cluent. his verbis incipiens: *Quod hoc portentum Dii Immortales? Quod tantum monſtrum in ullis locis? Quod tam infeſtum ſcelus, & immane, aut unde natum eſſe dicamus? Jam enim videtis profectò, Judices, non ſine neceſſariis me ac maximis cauſis principio Orationis meæ de Matre dixiſſe. Nihil eſt enim mali, nihil ſceleris, quod illa non ab initio Filio voluerit, optaverit, cogitaverit, effecerit.* Hinc enumeratio ſequitur. *Mitto illam primam libidinis injuriam: mitto nefarias generi nuptias: mitto cupiditate matris expulſam ex matrimonio Filiam; quæ nondum ad hujuſce vitæ periculum, ſed ad commune Familiæ dedecus pertinebant. Nihil de alteris Oppianici nuptiis queror; quarum illa cum obſides Filios ab eo mortuos accepiſſet, tum denique in Familiæ luctum,*

luctum, atque in privignorum funus nupſit. Præterea, quod Aur. Melinum, cujus illa quondam ſocrus, paulò ante uxor fuiſſet, cum Oppianici eſſe operâ proſcriptum, occiſumque cognoſceret: eam ſibi domum, ſedemque conjugii delegit, in quâ quotidiè ſuperioris Viri mortis indicia, & ſpolia fortunarũ videret. Illud primùm queror de illo ſcelere, quod nunc denique patefactum eſt. Fabriciani veneni, quod jam tum recens, ſuſpicioſum cæteris, huic incredibile, nunc verò apertum jam omnibus, ac manifeſtum videtur &c.

Proderit etiam ſcire, non in Peroratione tantùm locum habere enumerationem, ſed in aliis etiam Orationis partibus: ut ſi confirmationem V. g. in tres, aut quatuor partes diviſerimus: unaquâque parte confirmatâ: licebit breviter argumentationum capita repetere; hinc pro Leg. Man. Cic. totâ Oratione in genus belli, in magnitudinem, & Imperatorem diviſâ, primam partem ita per enumerationem concludit; *Quarè videte, num dubitandum vobis ſit, omni ſtudio ad id bellum incumbere, in quo gloria nominis veſtri, ſalus ſociorum, vectigalia maxima, fortunæque plurimorum Civium, cum Republicâ defenduntur.* Secundam hoc modo: *Quantum illud bellum futurum putetis, quod conjungant Reges potentiſſimi: renovent agitatæ nationes: ſuſcipiant integræ gentes: novus Imperator veſter accipiat, vetere expulſo exercitu.* Tertiam denique partem his verbis: *Quarè cum & bellum ita neceſſarium ſit, ut negligi non poſſit: ita magnum, ut accuratiſſimè ſit adminiſtrandum; & cum ei Imperatorem præficere poſſitis, in quo ſit eximia belli ſcientia, ſingularis virtus, clariſſima auctoritas, egregia fortuna, dubitabitis, Quirites, quin hoc tantum boni, quod a Diis immortalibus oblatum, & datum eſt, in Rempubl. conſervandam, atque amplificandam conferatis?*

Alte-

Alterum Epilogi munus eſt affectuum commotio. Quibus verò uti potiſſimùm oporteat: non eſt operoſum videre ex naturâ cauſæ. In genere enim Exornativo cum gratulatione, admiratione, æmulatione perorandum eſt; atque odii, amoris, ſpei, contemptionis affectus moveri debent. In genere Deliberativo excitanda eſt ſpes, ſive cupiditatis explendæ, ſive ulciſcendæ injuriæ. Sæpè etiam expedit timorem injicere ex imminentis periculi metu. In Judiciali denique omnia videntur concurrere: amor ſcilicet, odium, invidia, & præ cæteris indignatio, & miſericordia. Illam Accuſator: hanc Reus ſemper adhibeat; quâ in parte Orator manibus pedibuſque contendat, aperire fontes Eloquentiæ; ita ut non ſolùm incendere Judicem, ſed ardere ipſe videatur. Id clarè colligitur ex pluribus Ciceronis Perorationibus. Ut pro Mil. ubi ait. *Sed finis ſit; neque enim præ lacrimis jam loqui poſſum; & hic ſe lacrimis defendi vetat.* Et pro Rabir. Poſt. *Sed jam, quoniam, ut ſpero, fidem, quam potui, tibi præſtiti, Poſthume: reddam etiam lacrimas, quas debeo.*

In Peroratione peculiarem habere locum videtur Amplificatio; licèt ea aliis in partibus opportunè adhibeatur. Quapropter de eâdem hic agere, datâ operâ diſtulimus.

De Amplificatione.

CAPUT XXI.

Amplificatio (1.) eſt *gravior quædam affirmatio, quæ motu animorum conciliet in dicendo fidem.* In hoc eadem ab argumentatione differt, quòd argu-

(1.) *Cic. 1. de Orat.*

argumentatio quærit tantùm fidem facere: amplificatio verò præter fidem animos etiam commovere contendit.

Ea, inquit Tul. (2.) *& verborum genere conficitur, & rerum, Verba ponenda ſunt, quæ vim habeant illuſtrandi; nec ab uſu ſint abhorrentia: gravia, plena, ſonantia, juncta, facta, cognominata, non vulgata, ſuperlata, imprimiſque translata; nec in ſingulis verbis, ſed in continentibus ſoluta. Augent etiam relata verba, iterata, duplicata, & ea, quæ aſcendunt gradatim ab humilioribus verbis ad ſuperiora.*

Præcipuas verborum figuras exhibet idem Tul. quibus Oratio & amplificetur, & amplificata exornetur, ſcilicet iſocolon, contrapoſitum, adjunctionem, complexionem, conduplicationem, atque incrementum. Quam vaſtam præbeant amplificandi materiem hujuſmodi figuræ, facilè erit exemplis dignoſcere. Sic Tul. in 2. Agrar. quod brevi diceretur: *Pax omnibus grata eſt*: figurarum ornatu producit, & auget: *Quid enim tam populare, quàm pax? quâ non modò ji, quibus natura ſenſum dedit, ſed etiam tecta, atque agri mihi lætari videntur. Quid tam populare, quàm libertas? quam non ſolùm ab hominibus, verùm etiam a beſtiis expeti, atque omnibus rebus anteponi videtis. Quid tam populare, quàm otium? quod ita jucundum eſt, ut & Vos, & Majores veſtri, & fortiſſimus quiſque Vir maximos labores ſuſcipiendos putet, ut aliquandò in otio poſſit eſſe, præſertim in imperio, & dignitate: qui idcirco etiam Majoribus noſtris præcipuam laudem, gratiamque debemus; quòd eorum labore eſt factum, ut impunè in otio eſſe poſſemus*. Item Horatius perelegan̄ti periphraſi utitur Ode 4. lib. 3.

Qui terram inertem, qui mare temperat
Ventoſum, & urbes, regnaque triſtia,

Divoſ-

Divoſque, mortaleſque turmas
Imperio regit unus æquo.

De Amplificatione rerum.

CAPUT XXII.

R*Erum amplificatio*, inquit Cic. (1.) *ſumitur eiſdem locis omnibus, quibus illa, quæ dicta ſunt ad fidem; maximèque definitiones valent conglobatæ, & conſequentium frequentatio, & contrariorum, & diſſimilium, & interſe pugnantium rerum conflictio, & cauſæ, & ea, quæ ſunt de cauſis orta; maximèque ſimilitudines, & exempla. Fictæ etiam Perſonæ: muta denique loquantur &c.*

Cum Amplificatio nihil aliud ſit, quàm vehemens quædam argumentatio: ita Cic. undecim præcipuè locos enumerat, qui frequentiores ſunt in amplificatione; ac mirificam movendi animos vim habent.

Primus itaque eſt, cum definitiones ſive deſcriptiones conglobatæ ponuntur; ut pro Mil. in Peroratione conglobatam gloriæ deſcriptionem ita legimus: *eſſe hanc unam, quæ brevitatem vitæ, poſteritatis memoriâ conſolaretur; quæ perficeret, ut abſentes adeſſemus: mortui viveremus; hanc denique eſſe, cujus gradibus homines in Cælum videantur aſcendere.*

Secundus locus eſt, cum frequentatio conſequentium ponitur, nempe cum ea proferuntur vel mala, vel bona, quæ conſecutura ſunt; quòd in Perorationibus creberrimè agit Cic. Ita pro Mil. *Quid reſpondebo Liberis meis, qui te Parentem alterum putant? quid tibi Quinte Frater, qui nunc abes, conſorti mecum temporum illorum &c.*

Ter-

(1.) *Ibid.*

Tertius locus eſt, cum ponuntur contraria; ut pro Mur. *Habet magnum dolorem, unde cum honore diſceſſeris, eòdem cum ignominiâ reverti.*

Quartus deſumitur a diſſimilibus; quæ enim diſſimilia ſunt, rem magis illuſtrant, & extollunt, ut pro M. Cæl. *Neque enim poteſt, qui hominem Conſularem, quod ab eo Rempublicam violatam diceret, in judicium vocârit, ipſe eſſe in Republicâ Civis turbulentus. Non poteſt qui ambitu ne abſolutum quidem patitur eſſe abſolutum, ipſe impunè unquam eſſe largitor.*

Quintus a repugnantibus; ut pro Mil. *Nam qui poſſum putare me reſtitutum eſſe, ſi diſtrahor ab jis, per quos reſtitutus ſum?*

Sextus a cauſis, quando illas augendo enumeramus; ut pro Mil. *Negat enim ſe, negat ingratis civibus feciſſe, quæ fecit; timidis, & omnia circumſpicientibus periculâ, non negat; Plebem, & infimam multitudinem, quæ Publ. Clodio Duce, fortunis veſtris imminebat, eam, quò tutior eſſet vita veſtra, ſe feciſſe commemorat; ut non modò virtute flecteret, ſed etiam tribus ſuis patrimoniis deliniret.*

Septimus ab jis quæ ſunt orta de cauſis, quæ effecta, vel eventa jam nominavimus: ut 3. in Verr. *Niſi libidini tuæ, cupiditatique paruerit, immittentur homines, expugnabuntur domus, Civitates non modò pacatæ, verùm etiam Sociorum, atque amicorum ad vim, atque ad arma confugient, ut ab ſe, atque a Liberis ſuis Legati Populi Rom. ſcelus, atque libidinem propulſare poſſint.*

Octavus a ſimilitudine. Sic pro Mil. *Etenim ſi in gladiatoriis pugnis, & in infimi generis hominum conditione, atque fortunâ timidos, & ſupplices, & ut vivere liceat, obſecrantes, etiam odiſſe ſolemus: fortes, & animoſos, & ſe acriter ipſi morti offerentes, ſervare cupimus; eorumque nos magis miſeret,*

qui

qui noſtram miſericordiam non requirunt, quam qui illam efflagitant: quantò hoc magis in fortiſſimis Civibus facere debemus.

Nonus ab exemplis, quæ plurimùm movere ſolent; ut pro Archiâ Poetâ Cic. ſtatim poſt ſimilitudinem exempla ſubjungit hoc modo. *Homerum Colophonii Civem eſſe ſuum dicunt: Chii ſuum vendicant: Salaminii repetunt, Smirnæi verò ſuum eſſe confirmant. Itaque delubrum etiam ejus in Oppido dedicaverunt. Permulti alii præterea pugnant inter ſe, atque contendunt. Ergo illi alienum, quia Poeta fuit, poſt mortem etiam expetunt: nos hunc vivum, qui & voluntate, & legibus noſter eſt, repudiabimus?*

Decimus a fictis Perſonis, quæ *Proſopopæa* græco nomine vocantur. Ita pro Mil. Tullius ipſum Milonem ita loquentem inducit. *Valeant, inquit, valeant Cives mei: ſint incolumes, ſint florentes, ſint beati &c.*

Undecimus denique eſt, cum muta loquentia inducuntur, ut in Catil. 1. Cic. Patriam loquentem facit. *Etenim ſi mecum Patria, quæ mihi vitâ meâ multò eſt charior, ſi cuncta Italia, ſi omnis Reſpublica loquatur: Marce Tulli quid agis? &c.*

Ex his locis omnibus vehemens ducitur amplificatio; ſed non omnes tamen ſemper in unam Orationem cadunt. Pro loco igitur, proq; tempore iiſdem utatur Orator.

Comparatio frequentiſſimè prodeſt rei amplificandæ; non eò tantùm, ut probet; quin ut exaggeret, & majorem vim faciat. Sed ex Quinct. monemur, utriuſque partis circumſtantias, quæ rem augere poſſunt, eſſe excutiendas; nec dumtaxat virum cum viro, rem cum aliâ re, ſed partes etiam ſingulas cum aliis partibus eſſe componendas. Ita Cic. pro Domo ſuâ Caſſium cenſo-

rem

rem, qui ſignum Concordiæ in curiam non ſine Pontificum veniâ olim tranſtulerat, cum Clodio comparat, qui ſubverſam ipſius domum, inconſultis Pontificibus, libertati conſecrârat. *Quæſo Pontifices & hominem cum homine, & tempus cum tempore, & rem cum re comparate. Ille erat ſummâ modeſtiâ, & gravitate Cenſor; hic Tribunus plebis ſcelere, & audaciâ ſingulari. Tempus illud erat tranquillum, & in libertate Populi, & gubernatione poſitum Senatus; tuum verò tempus libertate Populi Romani oppreſsâ, Senatus auctoritate deletâ. Res illa plena juſtitiæ &c.*

De jis, quæ advertenda ſunt in Amplificatione.

CAPUT XXIII.

IN amplificatione (1.) *non quicquam nimis enucleandum eſt: minuta eſt enim omnis diligentia: hic autem locus grandia requirit*. Prætermittenda igitur ſunt, quæ parva eſſe videntur. Nam admodùm diligens enucleatio narrationi potiùs, & confirmationi convenit, quibus in partibus res ſingulæ ſubtiliter excutiuntur.

Quoniam magna eſt cauſarum varietas: judiciū propterea adhibendum, ut vario quoquè amplificandi genere utamur. *In illis enim cauſis*, inquit Tullius (2.) *quæ ad delectationem exornantur: ji loci tractandi ſunt, qui movere poſſunt Expectationem, Admirationem, Voluptatem*.

Expectatio tunc excitatur, cum Auditoris animus ſuſpenſus detinetur; ut exitum rei nôſſe deſideret.

Admi-

(1.) *Cic. de Orat.* (2.) *Ibid.*

dicendis, quæ *Deliberationes* vocantur; unde *Genus Deliberativum*: Aliæ in laudando, & vituperando, quæ *Exornationes* appellantur; unde *Genus Demonſtrativum*.

Hæc tria genera ſuos fines habent diſtinctos. In Judiciis enim omnia debent dicendo ad æquitatem dirigi. In Deliberationibus quæritur utilitas: in Exornationibus dignitas, & honeſtas.

At cujuslibet Orationis hic finis eſt; ut in Audientium animis affectus moveat. Hinc Demonſtrativum genus delectationem ſpectat: Deliberativum ſpem, aut metum: Judiciale denique ſævitiam, aut clementiam.

Inſuper qui laudat, aut vituperat, ferè tractat præſentia. Qui ſuadet, aut diſſuadet, verſatur circa futura. Qui accuſat, aut defendit, conſiderat præterita.

Interdum contingit, ut in eâdem oratione laudare debeat Orator, ac conſulere: quandoque etiā defendere. Tunc equidem in eo genere ſtatuenda eſt oratio, ad quod primùm reſpicit. Quod ſi æqua omnium partium ſit ratio: cauſa multiplex dicitur; & ad aliud, atque aliud dicendi genus pro diverſis, ex quibus conflata eſt partibus, pertinebit.

De Genere Demonſtrativo.

CAPUT XXV.

GEnus illud cauſarum, quod aurium delectationem ſectatur, *Exornatio* dicitur, vel *Demonſtrativum*; quia ſolùm demonſtrat Perſonæ, reique naturam; nec per ſe intendit Auditorum actionem; ut in aliis generibus contingit. Hujuſmodi autē genus latiſſimè patet. Quid enim eſt, quod

vel laudare, vel vituperare non poſſimus, ſive homines ſint, ſive bruta, ſive res etiam inanimes? Iſocrates laudavit Athenas. Ariſtides encomium Romanæ Urbis conſcripſit. Minimas alii, ac deſpectiſſimas res, ut Lucianus Muſcam, maximis laudibus extulerunt.

Porro tota efferendi, aut exornandi ratio conſtat ex Narratione, & Amplificatione. Illius enim, quem laudamus, vel vituperamus, facta narrantur; non ita quidem, ut argumentationibus confirmentur, aut eadem refutentur; ſed ut tanquam certa, & indubitata amplificentur. Proœmia verò libera ſunt: quemadmodùm docet Quinctil. adeòut etiam remota ſint interdum a causâ; ut Iſocrates in Elenæ encomio proœmium a Sophiſtarum vituperatione deprompſit.

Cum in laude, aut vituperatione Perſonæ verſatur Orator: hæc attendat præcipuè, quæ ex Tullio quoque monemur: *Bona* ſcilicet *externa*, *corporis*, *&* *animi*.

Bona externa ea ſunt, quæ a fortunâ donantur, ut *Genus*, *Dignitas*, *Divitiæ*.

Genus triplex eſſe poteſt: *Illuſtre*, *Infame*, *Humile*.

Illuſtre, quod Majorum Imaginibus ſplendet. Ita C. Cæſar Amitam ſuam pro Roſtris laudans ait: *Amitæ meæ Juliæ maternum genus ab Regibus ortum, paternum cum Diis immortalibus conjunctum eſt?* Quamquam genus ex eodem Cic. breviter, & modicè laudandum eſt; ne eorum conſuetudinem ſequamur, qui cum aliquem commendandum ſuſceperint, diu in celebrandis ejus Majoribus, illorumque rebus geſtis recenſendis immorantur; vixque ullam in eo collocant operam, ut quem laudare ſibi propoſuerunt, Majorum ſuorum imitatorem, aut parem fuiſſe demonſtrent.

Infame

Infame genus penitus in laude prætermittendum, ne inde aliqua macula in laudandum derivet. Verùm ad illius res egregiè geſtas ſtatim eſt accedendum; ut in eis Auditorum mens defixa, nihil de genere cogitet. Contra in vituperatione genus infame juvat objicere; ut Cic. 3. Philip. *Quæ porro amentia eſt, eum aliquid dicere de Uxorum ignobilitate, cujus Pater Numitoriam Fregellanam, proditoris filiam habuerit Uxorem: ipſe ex libertini filiâ ſuſceperit Liberos &c.*

Humile genus ſi fuerit, vel prætermittitur, vel etiam aliquando commemoratur; ut major laudati gloria reſplendeat. Quarè Cic. multis in locis gloriatur, quod cum eſſet novus homo, cujus Majores laude populari, atque honoris luce caruerint: omnes tamen dignitates ſuâ virtute fuerit conſecutus.

Poſtquam Genus tractatum fuerit, ad opes, & facultates, quæ fortunæ bona putantur veniendum eſt.

Corporis bona, quæ laudari poſſunt, eſſe ſolent *robur*, *vires*, *firma valetudo*, *& formâ*; Ita Plinius in Panegir. a formâ Trajanum laudat.

Poſt hæc ad ea deſcendendum, quæ ſunt laudis propria: *Egregia* ſcilicet *facta*, quæ a virtute proficiſcuntur. Horum autem diſpoſitio tribus modis fieri poteſt.

1. Si temporum ordinem ſervemus; & a primis incipientes, ſingillatim omnia recenſendo, uſque ad ultima, & noviſſima progrediamur. Hujuſmodi collocatio naturalis eſt; eâque frequentiùs utuntur Oratores. Sic exponendum, a quo genere vir, de quo habenda eſt Oratio, ortus ſit: quomodò educatus, & apud quos: quibus diſciplinis inſtitutus: quid in pueritiâ geſſerit quid in Adoleſcentiâ: quid in virili ætate: quid in ſenectute;

& denique, ſi mortuus ſit, quo genere mortis fuerit extinctus

2. Si retro, & quaſi ſurſum versùs commigremus? hoc eſt a noviſſimis incipientes ad prima regrediamur. Eo ordine rariùs quidem uti ſolemus; ſed tamen aliquando neceſſarius videtur. Ita Plin. in Paneg. ſtatim incipit à Trajani creatione, quæ recentiſſima fuerat.

3. Si interciſo, & permixto ordine temporum ad aliqua virtutum genera ſingula facta referamus. Hæc laudandi methodus uberior eſt; nam in eâ ſervandâ multa etiam affingere poſſumus; quo major laus appareat. Sic pro leg. Manil. Cic. ad quatuor capita Pompeii laudes retulit: ad ſcientiam rei militaris, ad virtutem, ad auctoritatem, ad felicitatem.

Facta, & dicta, imò & cogitationes hominum laudari poſſunt. Quarè quærendum erit, quid quiſque ſenſerit, dixerit, geſſerit: ut hæc omnia poſſint ad aliquod virtutis genus accommodari. Ita quæ quis in bello præclarè geſſerit, ad fortitudinem, & prudentiam referentur: quæ in adminiſtratione Reipublicæ, ad Juſtitiam, & civilem Scientiam: quæ caſtè, atque integrè, ad Temperantiam: quæ ſcienter, atque eruditè, ad Sapientiam &c.

Sæpè etiam inter ſe facta comparantur, ut quæ majora ſint, appareant. Ita Cic. pro M. Marcello probare contendit, Cæſarem, quamvis in bello plurimas res præclariſſimas geſſerit: tamen majorē laudem ex Clementiâ, & Manſuetudine reportaſſe. *Itaque*, inquit, *Caj. Cæſar bellicæ tuæ laudes celebrantur, illæ quidem non ſolùm noſtris, ſed pene omnium Gentium literis, atque linguis; neque ulla unquam ætas de tuis laudibus conticeſcet. Sed tamen ejuſmodi res, neſcio quomodò, etiam dum audiuntur,*

iuntur, aut dum leguntur, obſtrepi clamore militum videntur, & tubarum ſono. At verò cum aliquid clementer, manſuetè, juſtè, moderatè, ſapienter factum, in iracundiâ præſertim, quæ eſt inimica conſilio, & in victoriâ, quæ naturâ inſolens, & ſuperba eſt, aut audivimus, aut legimus: quo ſtudio incendimur, non modò in geſtis rebus, ſed etiam fictis? Ut eos ſæpè, quos nunquam vidimus, diligamus. Te verò, quem præſentem intuemur, cujus mentem, ſenſuſque, & os cernimus, ut quidquid belli fortuna reliquum Reipublicæ fuerit, id eſſe ſalvum velis: quibus laudibus efferemus? quibus ſtudiis proſequemur? quâ benevolentiâ complectemur?

In laudando, vituperandoque plurimùm etiam refert cauſas, eventus, & conſequentia requirere. Hæc tria magnam afferent dicendi copiam, ſi in ſingulis diu inſiſtemus; ut quo ſtudio, quâ diligentiâ, quâ ſolicitudine uſus fuerit Cicero, ut Catilinæ conatus nefarios frangeret: quæ ſunt cauſæ; quibus rationibus patefacta conjuratio, repreſſa, vindicataque: qui eſt eventus totius negotii; quàm gloriam proinde retulerit idem Tullius, Pater Patriæ primus omnium appellatus; quæque odia improborum in ſe concitârit: quæ ſunt conſequentia.

Si aliquem, qui jam è vitâ exceſſerit, laudabimus: ejus mors ſilentio non erit prætereunda; ſed exponendum, quo genere mortis objerit; præſertim cum aliquid in morte ejus contigit animadverſione dignum. In jis præterea immorabimur, quæ poſt mortem evenere. Ita Cic. Phil. 9. mortem Ser. Sulp. multùm commendat, quàm in legatione ad M Antonium oppetiit. *Nunc autem quis dubitat, quin ei vitam abſtulerit ipſa legatio. Secum enim ille mortem extulit, quam, ſi nobiſcum remanſiſſet, ſuâ curâ, optimi Filii, fideliſſimæ conju-*

gis diligentiâ vitare potuiſſet. At ille cum videret, ſi veſtræ auctoritati non paruiſſet, diſſimilem ſe futurum ſui: ſin paruiſſet, munus ſibi illud pro Republicâ ſuſceptum vitæ finem allaturum: maluit in maximo Populi Rom. diſcrimine emori, quàm minùs, quàm potuiſſet, videri Reipublicæ profuiſſe &c.

Cæterùm in quâlibet Perſonâ laudandâ quatuor ſunt, quæ animadvertantur neceſſe eſt.

1. Ne ad fictitias, atque ementitas laudes recurramus. Id enim non ſolùm decus non affert; ſed præter ea in veris fidem derogat Oratori.

2. Ne in magnâ meliorum rerum copiâ res confectemur exiles, factaque leviora. Quod ſi exigua commemorare ad orationis ſplendorem contulerit: cavendum tamen, ne immodicè extollantur; ſatiùſque erit, illa vix attingere, & prudenter, ac ſuo loco.

3. Ut uberiùs propriæ: ſtrictiùs verò communes laudes exponantur.

4. Si argumentum jejunum ſit, atque aridum, licebit in locum communem excurrere; & hipotheſim transferre ad theſim. Digredi quoquè licebit in deſcriptionem aliquam, ſeu in alicujus reprehenſionem &c.

De Genere Deliberativo.

CAPUT. XXVI.

GEnus deliberativum, quod Suaſorium etiam vocatur, illud dicitur, cujus conciones habebantur apud Romanos in Curiâ, apud Græcos ad Populum.

Hujus generis materia ſunt res contingentes, & poſitæ in noſtrâ poteſtate.

Duo in omni Deliberatione ſunt, quæ Diſſuaſor, ſeu

ſeu Suaſor diligenter advertere debet. Primū: *Poſſit ne fieri, an non poſſit*. Secundum: *Quid aut neceſſe ſit, aut non neceſſe*. Nam aut certum eſt, id poſſe fieri, de quo deliberamus: aut incertum. Si incertum: hæc erit prima quæſtio, quæ ad conjecturam refertur. Ut poteritnè Cicero Conſulatum adipiſci, cum ſit novus homo, & nobiliſſimos habeat Competitores? Si certum eſt fieri poſſe: videndum eſt, an ſit neceſſarium; ne ſupervacanea aggrediamur. Cum autem aliquid nullo modo fieri poſſe conſtat: ſtatim deliberatio tollitur. Nemo enim eſt, qui, quæ fieri nequeunt, velit aggredi, quamvis utilia eſſe putentur. Ità nemo curabit ea, quæ ſibi utilitati fore non viderit.

Suaſor itaque enixè conetur, ut oſtendat, id, quod ſuadet, & utile eſſe, & fieri poſſe. Diſſuaſori contra ſatis erit, alterum tantùm infirmare; ut ſi doceat, inutile conſilium eſſe, aut nullo modo, aut non commodè fieri poſſe. Ariſt. Ethic. 2. tria dicit eſſe, quę ſequamur: *boneſtum*, *utile*, *jucundum*: & tria quæ fugiamus: *turpe*, *inutile*, *moleſtum*.

Quemadmodùm verò in genere Demonſtrativo ei, qui Perſonam aliquam commendat, digredi licet in locum communem: ita in genere Deliberativo non rarò fit, ut hipotheſis transferatur ad theſim; idque tum ad probandum, tum ad amplificandum magnoperè adjuvat. V. g. ſi quæſtio ſit ſpecialis, ac finita, an Archias donandus ſit Civitate: licebit univerſè agere de quæſtione hâc: an Poetas ad Civitatem admittere utile ſit.

Hoc orationis genus argumentis abundare debet, quæ non ſolùm a locis rhetoricis deſumantur, ſed etiam a dialecticis. Loci in ſuadendo frequentiores ſunt: Adjuncta: Effectus, Antece-

dentia, Concomitantia, Conſequentia, Comparatio, Contraria, Teſtimonia, & potiſſimùm Exempla; dici enim vix poteſt, quantam in perſuadendo vim habeant Exempla. Sed curandum, ut iſta ſimilium ſint; neque Tyranni bonis Regibus, aut Plebei Proceribus æquiparentur.

In Deliberativo Genere plerùmque brevia ſunt Exordia; ſatis enim eſt rem proponere, de quâ dicturi ſumus, & Auditores hortari, ut attentè velint audire. Ità Cic. in Philippicis omnibus breviſſimo, vel nullo utitur Exordio. Si tempus autem, & cauſa poſtulet: Exordium poteſt produci. Sic pro lege Man. Cic. antequam de re dicere incipiat, cauſam exponit, quarè antea nunquam in concione orationem habuerit: deinde ita proponit; *Dicendum eſt enim de Cn. Pompeii ſingulari, eximiâque virtute &c.*

Corpus ipſum Orationis non fucàtum, neque nimis expolitum eſſe debet, ſed ſimplex, & grave; ne qua fraudis, aut doli ſuſpicio ſubſit. Crebræque adhibendæ ſunt ſententiæ, quæ multùm movere ſolent. Verborum ornamenta ſint rara; ne nimiùm exultare videatur Oratio.

In Peroratione amplificanda ſunt omnia, quæ honeſta, quæ utilia, quæ neceſſaria, & proclivia eſſe dixerimus; etſi ji, qui deliberant, fortunam habent ſecundam: eos admonebimus, ut illam diligenter conſervare ſtudeant; ſi verò fortuna fuerit adverſa, periculum oſtentare oportebit.

De Genere Judiciali.

CAPUT XXVII.

Tertium nunc aggredimur cauſarum genus, quod duas habet præcipuas partes: Accuſa-

tionem

tionem nimirum, & defenſionem; quoties in judiciis verſatur. Eo tamen ſæpè admodùm utimur in epiſtolis, & familiari collocutione. Cum enim reprehendimus, excuſamus, conquerimur, objurgamus, deprecamur, invehimus: in judiciali genere verſamur; quo fit, ut *Exprobratio*, *Excuſatio*, *Invectiva*, *Expoſtulatio*, *Purgatio*, *Querela*, *Objurgatio*, *Deprecatio*; & ſi qua ſunt hujuſmodi, Judiciali generi tanquam ſpecies quædam ſubjiciantur.

Cicero ante judicium translativam Conſtitutionem admittit, quæ eſt *contentio de conſtituendo ipſo judicio*. Hæc autem contentio multiplici modo tractatur.

1. Contenditur de ipſo judicio conſtituendo; V. g. habeatnè jus agendi, aut petendi aliquid in judicio. Ita quæri poteſt; an Filio ſit actio contra Patrem: Servo contra Dominum &c.

2. Contenditur de tempore; ut ſi quis petat pecuniam, antequam cepta ſit deberi; vel ſi quis agat contra præſcriptionem temporis: V. g. litem movendo de Prædio, quod jam decennium bonâ fide poſſeſſum ſit.

3. Contenditur de lege; ut ſi quis eum, qui ſe telo defenderit, & inimicum ſuum interfecerit, reum agat lege Corneliâ *de Sicariis*, cui objiciendum eſt, non eſſe lege illâ agendum.

4. Contenditur de verbis, quibus in agendo uti opus eſt: Nam olim ex præſcriptâ formulâ verborum agebant, quam Prætor ipſe, a quo judicia petebantur, Agentibus definiebat; quam qui ſequutus non fuiſſet, cauſâ cadebat.

Licet translativa conſtitutio ante judicium tractari ſoleat: in ipſo tamen judicio etiam tractatur; ibique magnum pondus ſæpè habet.

Hujuſmodi cauſæ translativæ pendent à jure

civili;

civili; quod quadruplex eſt: *Publicum*, quod ad Statum Civitatis pertinet, & ad communem utilitatem: *Privatum*, quod ad ſingulos homines ſpectat: *in Lege*, quæ jus reſpicit, quod ſcriptum eſt, & publicè confirmatum: *in more*, qui jus intendit, quod non eſt ſcriptum, ſed eſt in conſuetudine; omneſque eo utuntur.

In omni juridiciali controverſiâ tres gradus inveniuntur, ex quibus poteſt Defenſor reum tueri.

1. Si quis crimen neget, & factum non eſſe dicat; ut Roſcius parricidium non commiſit: adducendo, fictum eſſe crimen, falſos teſtes, accuſatorem calumniari, ab ejus vitâ factum illud quàm longiſſimè abhorrere &c.

2. Si non id feciſſe dicamus, quod adverſarii objiciunt; quamvis factum concedamus; ut Cic. pro C. Rabir. quamvis fateatur a Rabirio contra Saturninum arma ſumpta fuiſſe; non tamen imminutam ab eo majeſtatem defendit.

3. Si neque factum, neque facti nomen negare potes: ut rectè factum oſtendas. Sic cædem quidem fecit Milo, ſed jure; quoniam inſidiatorem, & latronem interfecit.

Plura tum de hoc dicendi Genere cognoſcentur, cum de ſtatibus præcepra inſtituemus.

Quod autem ad ſingulas Orationis partes pertinet, diſtinctè docet Tullius in Part. Orat. Ac primò exordium accuſatoris ejuſmodi eſſe debet, ut reo acerbos Judices efficiat, & commune periculum eſſe oſtendat; atque ad audiendum excitet. Ita Cicero acerbitatem movet contra Verrem: *Quas res*, inquit, *luxuries in flagitiis, crudelitas in ſuppliciis, avaritia in rapinis, ſuperbia in contumeliis, efficere potuiſſent: eas omnes ſe ſe hoc uno Pratore per triennium pertuliſſe*.

De-

Defenſoris exordium querelam conflati criminis, aut confićti habere deb t; ita ut periculum eſſe commune oſtendat, & animos Judicum ad miſericordiam alliciat, ſibique benevolos faciat. Hæc omnia diligentiſſimè exequitur Cic. pro Sex. Roſc. Amer. docet enim in Roſcium, non aliâ de causâ conflatum eſſe parricidii crimen ab Accuſatoribus, niſi ut, Roſcio ſublato, poſſent ejus bona ſecurè poſſidere: colligit ſuſpiciones plurimas, quibus docet, ab ipſis Accuſatoribus interfectum fuiſſe Roſcii Patrem: commune eſſe periculum oſtendit, ſi judicio ficto innocentes opprimantur: Judices ad miſericordiam movet, rogatque, ut audaciæ adverſariorum fortiter reſiſtant. In fine Exordii modicè benevolentiam, & attentionem captat his verbis. *Atque ut faciliùs intelligere poſſitis, Judices, ea, quæ facta ſunt, indigniora eſſe, quàm hæc ſunt, quæ dicimus: ab initio res quemadmodùm geſta ſit vobis exponemus, quò faciliùs, & hujus hominis innocentiſſimi miſerias, & illorum audaciam cognoſcere poſſitis, & Reipublicæ calamitatem.*

In Narratione Accuſator periodis non utetur; ſed membratim dicet. Membra autem narrationis ſuſpicioſa ponet, quæ ſemina argumentationum contineant, atque defenſionem obſcurare videantur; ut in Ver. *Qui ita dictitat, jis eſſe metuendum, qui, quod ipſis ſolis ſatis eſſet, ſurripuiſſent; ſe tantùm rapuiſſe, & id multis ſatis eſſe poſſit, nihil eſſe tam ſanctum, quod non violari, nihil tam munitum, quod non expugnari pecuniâ poſſit.*

Defenſoris narratio vel prætereat argumenta ſuſpicionum ut pro Mil., *Milo cum in Senatu fuiſſet eo die, quoad Senatus dimiſſus eſt, domum venit: calceos, & veſtimenta mutavit: pauliſper dum ſe Uxor (ut fit) comparat, commoratus eſt &c.* vel eadem obſcuret; ut pro Roſc. Amer. *Cum hic*

hic Sex. Roſcius eſſet Ameriæ; Titus autem iſte Roſcius Romæ; cum hic filius aſſiduus in prædiis eſſet; cumque ſe, voluntate Patris, rei familiari, vitæque ruſticæ dediſſet; iſte autem frequens Romæ eſſet, occiditur ad Balneas Palatinas rediens a cænâ Sex. Roſcius. Quo peracto exponat Defenſor eventus, & caſus rerum, ut Cic. pro eodem Roſc. *Glaucia decem horis nocturnis ſex & quinquaginta millia paſſuum ciſiis pervolavit, ut exoptatum inimico nuncium primus afferret &c.* Hinc pergit Tul. narrare quemadmodùm Chryſogonus, & duo Roſcii in fortunas Sex Roſcii interfecti impetum fecerint, & illas inter ſe diſtribuerint; quibus rebus effici vult, non a Filio Patrem Roſcium, ſed ab adverſariis occiſum fuiſſe.

In Confirmatione, & Refutatione præter argumenta, quæ ponuntur, debet Accuſator criminibus amplificandis motus animorum incitare; Defenſor autem mitigare. Sic nedum in peroratione verùm etiam in aliis Orationis partibus poſt cuiuslibet ferè criminis confirmationem amplificatione utitur Cicero; ut 3. in Verr. Poſtquam confirmavit ab ipſo Verre Quæſtore deſertum fuiſſe Conſulem, ita crimen amplificat: *Itanè verò? Tu cum Quæſtor ad exercitum miſſus ſis: cuſtos non ſolùm pecuniæ, ſed etiam Conſulis, particeps omnium rerum, conſiliorumque fueris, habitus ſis in liberum loco, ſicut mos Majorum ferebat, repente relinquas? deſeras? Ad adverſarios tranſeas? O ſcelus! O portentum ad ultimas terras aſportandum! &c.* Contra verò Defenſor ſingula debet extenuare, ut Tul. pro M. Cæl. Cælii cum Clodiâ conſuetudinem facetiſſimè tractat: veneni crimen irridet: Teſtium fidem elevat.

In Peroratione contendere debet Accuſator argumentorum frequentatione, ut reum obruat,

Defen-

Defenſor, poſtquam omnia refutârit, poterit enumeratione, & conqueſtione uti; quod Cicero facit pro Aul. Cluentio.

De Statibus.

CAPUT XXVIII.

STatus, ſive conſtitutio eſt *ea Quæſtio, quæ ex primâ conflictione cauſarum exoritur*. Habet autem locum in omnibus cauſarum generibus; ſed in Judiciali præcipuè attendi videtur.

Efficitur ſtatus ex intentione, & depulſione hoc modo: Serv. Sulpitius Murenam accuſans ait: *Murena ambitum commiſit*. Cic. defenſor reſpondit: *Murena ambitum non commiſit*. Quæritur, an commiſerit. Hæc quæſtio ſtatus dicitur, vel conſtitutio; quoniam in eâ tota cauſa conſiſtit.

Hos igitur ſtatus alii aliter dividunt. Cicero tres eſſe ſtatuit; quoniam de unaquâque re tria quærere poſſumus; nempe, *an res ſit, nec nè: quid ſit; qualis ſit*.

1. Igitur quæritur, *ſit nec nè* id, de quo eſt controverſia; & hic ſtatus *Conjecturalis* dicitur a conjectu, hoc eſt directione quâdam rationis ad veritatem. Hunc Cicero vocat *Inficialem*; quòd fiat a reſpondente, & inficiante crimen. In hoc ſtatu ſunt omnes cauſæ, in quibus factum negatur; ut pro L. Murenâ, pro Flacco, pro Syllâ, pro Roſcio Amerino.

2. Quæritur *quid ſit*; hinc ſtatus *Definitivus* vocatur, qui tunc accidit, cum factum quidem conceditur, ſed de nomine facti controverſia eſt; ut Labienus accuſat Rabir. quòd arma contra Saturninum ſumpſerit, atque ideò majeſtatem læſerit. Cic. Rabir. defendit & concedit, a Rabirio

arma quidem contra Saturninum ſumpta: negat tamen læſam eſſe majeſtatem. Quæritur ergo quid ſit majeſtatem lædere.

3. Quæritur *quale ſit*; ut cum de facto conſtat, & de nomine facti, ſed de qualitate controverſia eſt: utrùm illud juſtum ſit, an injuſtum: & hic dicitur ſtatus *qualitatis*; V. g. potueritnè jure Flaccus exigere pecunias a Græcis ad inſtruendam claſſem.

Eſt autem unius Orationis interdum ſimplex, interdum multiplex ſtatus.

Simplex, ſi non aliud quæratur, quàm jurenè, an injuriâ aliquid factum ſit.

Multiplex verò vel eſt ejuſdem generis, vel diverſorum.

Ejuſdem: ut cum quæritur, an Verres pecuniam acceperit a Leonidâ, ab Apollonio, & a Mamertinis. Hic ſiquidem unum habetur, idemque genus.

Diverſorum generum eſt, cum quis fatetur, ſe interemiſſe hominem, at non ſpoliaſſe pecuniâ. Prior quippe ſtatus eſt qualitatis: poſterior conjecturalis. Nam in priori queſtio eſt, an qui fatetur ſe interemiſſe, jure interemerit: in poſteriori, an ſpoliaverit alterum.

De Statu Conjecturali.

CAPUT XXIX.

Conjectura, quæ omnium queſtionum eſt difficilima, duobus modis confirmatur: nempe *veriſimilibus*, & *propriis rerum notis*.

Veroſimilia, quæ alio nomine *Probabilia* dicuntur ſunt ea, quæ plerùmque fiunt, & eodem modo majori ex parte eveniunt; ſed non ſunt neceſſaria.

ſaria. Ut Adoleſcentes ſunt cerei in vitium, flecti; veruntamen ipſi quoque ad virtutem proclives deprehenduntur.

Propriæ rerum notæ, quæ alio nomine *judicia*, & *argumenta neceſſaria* vocantur, ſunt ea, quæ aliter eſſe non poſſunt; quoniam rem certam, & indubitatam declarant V. g. Fumus eſt; igitur Ignis.

Veroſimilia a ſex potiſſimùm fontibus hauriuntur: nempe a *Perſonis*, *Locis*, *Temporibus*, *factis*, *eventis*, *rerum*, *negotiorumque naturâ*. En exemplum in Oratione pro Roſc. Amer.

A Perſonâ deducitur, ut Roſc. non modò a parricidio, cujus accuſabatur, ſed etiam ab omni flagitio videatur alienus; cum aſſiduus eſſet in Prædiis ruſticis colendis: cum ex voluntate Patris rei familiari, vitæque ruſticæ ſe dediſſet: cum integris, & caſtis moribus eſſet.

A loco: quòd Pater ipſius Romæ fuerit interfectus ad Balneas Palatinas, ubi frequentes erant inimici, qui ejus vitæ inſidiabantur, cum idem interea Ameriæ in rebus ruſticis occupatus commoraretur.

A tempore; quod ille interfectus fuerit veſpere a cæna rediens; cum maxima eſſet gladiatorum impunitas propter Syllanas proſcriptiones; quo tempore Amer. Româ abeſſet.

A factis Adverſariorum, quibus iidem potiùs cædis Auctores convincuntur; quòd M. Glaucia decem horis nocturnis ſex & quinquaginta millia Ciſiis pervolârit, ut cædem factam Capitoni inimico Roſcii nunciaret; quòd interfectum in proſcriptorum numero habendum curârint; quòd denique in Roſcii bona, ac fortunas impetum fecerint.

Ab eventis; quia Filius domo fuit ejectus; quia

minas

minas, & tela inimicorum fugiens, Romam venit, & cauſæ ſuæ Patronum quæſivit : quæ ſigna ſunt hominis probi.

A rebus, negotiorumque naturâ; quòd non aliâ de causâ Roſcius accuſaretur, niſi ut eo condemnato poſſent Adverſarii ſecurè illius bona poſſidere.

Propriæ rerùm notæ, ſeu ſigna deſumuntur ex facti veſtigiis, & ab jis rebus, quæ ad ſenſum pertinent; ut telum, cruor, clamor editus, titubatio, permutatio coloris, Oratio inconſtans &c. V. g. Si quis in ſuſpicionem cædis veniret, & ejus telum deprehenſum fuerit aut in vulnere, aut ubi cædes facta eſt, valebit hoc plurimùm ad facti probationem.

Status Conjecturalis vel ſimplex eſt, vel comparatus. Simplex: V. g. utrùm Milo inſidias ſtruxerit Clodio. Comparatus: Clodiusnè Miloni inſidias ſtruxerit; an Milo Clodio.

De Statu Definitivo.

CAPUT XXX.

Quæſtio, quâ quæritur quid ſit res, dicitur ſtatus definitivus. In hoc præcipuè examinatur, an omnes adſint conditiones, quæ requiruntur, ut nomen quodpiam rei, aut facto tribuatur; an verò quidpiam etiamnum deſit. Ita in Orat. pro Aul. Cæcin. quæſtio eſt : num dici poſſit, ei vim factam eſſe, qui tantùm armis fuerit perterritus, quominùs fundum ingrederetur; an inſuper ad id requiratur, ut vi fuerit ejectus.

In definitivis controverſiis tria maximè confluunt : *Deſcriptio*, *Enumeratio conſequentium*, & *Explicatio vocabuli*.

Deſcri-

Deſcriptionem intelligimus, quæ fit ex accidentium congerie, cum ea, quæ Perſonis, & negotiis attributa ſunt, fuſiùs explicantur. Hujuſmodi eſt pro A. Cæcin. *Dici in hâc causâ poteſt, ubi arma fuerint, ubi coacta hominum multitudo, ubi inſtructi, & certis locis cum ferro homines collocati, ubi minæ, pericula, terroreſque mortis: ibi vim non fuiſſe?*

Enumeratio planè conſequentium maximoperè adjuvat definitivam quæſtionem; ut 8. Phil. Cic. probat à conſequentium enumeratione, bellum eſſe cum Antonio; eo quod Brutus oppugnaretur: quod Mutina obſideretur: quod Gallia vaſtaretur: quod totâ Italiâ delectus haberetur. Hæc enim omnia bellum conſequi ſolent.

Explicatio vocabuli ac nominis valet imprimis ad hujuſmodi ſtatum; quoniam hæc tota controverſia definitiva videtur à vocabuli explicatione pendere; ut cum quæritur, quid ſit ſacrilegium: quid majeſtatem minuere. Sic Cic. pro Cor. Balbo irridet adverſarii interpretationem. *Erat*, inquit, *Accuſatoris interpretatio indigna reſponſione, qui ita dicebat, comiter eſſe communiter; quaſi verò priſcum aliquod, aut inſolitum verbum interpretaretur. Comes, benigni, faciles, ſuaves homines eſſe dicuntur.*

De Statu Qualitatis.

CAPUT. XXXI.

CUm de facto, & ejus nomine conſtat: quærendum inſuper eſt; quale ſit factum. Hanc quæſtionem Hermog. ita diſtribuit. Cum in *Verbo* controverſia eſt: Conſtitutio *legitima* vocatur; cum autem in *Re*: tum dicitur *Rationalis*, quæ

itidem duplex eſt; aut enim de futuro agit, & dicitur *negotialis*, quæ Deliberationem habet; aut de præterito eſt, & dicitur *Iuridicialis*.

Tullius quæſtiones illas, quæ in facti qualitate verſantur, in duplicem claſſem diſtinguit: aliæ enim ſunt *abſolutæ*, aliæ *aſſumptivæ*.

Quæſtio abſoluta eſt, cum jure factum depellitur; idque ſex modis fieri poteſt: *naturâ*, *lege*, *conſuetudine*, *judicato*, *æquitate*, *pacto*; ut ſi quis, cum occiderit furem nocturnum, rectè ſe feciſſe, velit probare: fundamenta rationum eruet.

1. A naturâ, quæ docet, vim vi repellere,

2. A lege, quæ eſt: *Si nocte furtum factum erit: ſi eum occiderit, jure cæſus eſto*.

3. A conſuetudine, quia ab omni ſæculorum memoriâ mos iſte invaluit.

4. A judicato; ut ſi dicamus, Titum, & Marium in ſimili causâ fuiſſe abſolutos.

5. Ab æquitate, quæ docet, ut ſi in inſidias inciderimus: ne ejus vitæ parcamus, cui ſine periculo noſtro parcere non poſſimus.

6. A pacto: ut ſi poſſit oſtendi, feciſſe Actorem contra datam fidem.

Quæſtio aſſumptiva eſt, cum auxilia ad factum defendendum extrinſecùs aſſumuntur. Id, quod aſſumitur *colorem* Rhetores vocant, quia immutat facti rationem. Ita cum turpe in ſe ſit Civem indemnatum occidere, Cic. extrinſecùs colorem quærens ad defendendum Milonem, culpam facti rejicit in ipſum Clodium, quem inſidias ſtruxiſſe ait.

Status aſſumptivus dividitur in *Comparationem*, *Relationem*, *Remotionem*, & *Purgationem*.

Comparatio id quod factum eſt confert cum deteriori, quod alioquin faciendum foret. Ut lex Solonis erat: *Si quis non alat Parentes, infamis eſto*.

eſto. Quiſpiam detrectat alere Patrem; ſed eo ſe excuſat, quòd in ſumma inopiâ aut Uxorem, aut Parentem deſerere cogatur. Satiùs autem videtur, ut conſervet Uxoris vitam, quàm ut Patris ſtudeat ſaluti.

Relatio eſt, cum culpam conferimus in eam Perſonam, quæ ipſa malum accepit. Ita Milo Clodium occidit; ne ab eo necaretur.

Remotio eſt, cum culpam rejicimus in Perſonam aliam, quàm quæ malum accepit: vel in rem quidem, ſed ſic, ut voluntas, ſive intentio facti concedatur. Exemplum prioris generis eſt: *Servilius Hala Sp. Melium interemit, ſed juſſu Cincinnati Dictatoris*. Poſterioris generis eſt: *Non poſui ſtatuam ex Teſtamento, quia lege prohibebar*.

Purgatio factum non defendit, ſed voluntatem: Itaque habet excuſationem, aut *Neceſſitatis*, aut *Fortunæ*, aut *Imprudentiæ*.

Neceſſitatis, ut Mater Hieroſolimitana filium interemit, quia rabie, ac fame eò fuerit adacta.

Fortunæ, ut Pompejus aciem Pharſalicam perdidit; non quia illi virtus deerit, ſed iniquitate fortunæ adverſantis.

Imprudentiæ, ut Titinius Centurio Ducem ſuum pro hoſte interfecit.

Ciceronis Oratio pro Quin. Ligar. tota ferè eſt criminis purgatio in ſtatu aſſumptivo; eâque oſtenditur, Ligarium fortunâ, imprudentiâ, neceſſitate fuiſſe pertractum ad bellum.

Cum quis ſe peccaſſe fatetur; neque peccati ſui rationem ullam afferre poteſt, niſi motum animi, & perturbationem: confugere poteſt ad deprecationem, quâ veniam errati petat. Sic. Cic. poſtquam totis viribus Ligarii crimen purgare contenderit, demum ad deprecationem confugit hoc modo: *Ignoſcite, Judices, erravit: lapſus eſt: non*

putavit: ſi unquam poſt hàc. Ad Parentem ſic agi ſolet; ad Judices, non fecit, non cogitavit: falſi teſtes: fictum crimen &c. Et paulò poſt. *Ego ad Parentem loquor: erravi: temerè feci: ad clementiam confugio: delicti veniam peto: ut ignoſcas, oro.*

De Memoriâ, & pronunciatione:

CAPUT XXXII.

Memoria eſt (1.) *firma animi rerum, ac verborum ad inventionem perceptio*: Ea duplex eſt: *Naturalis*, & *artificioſa*. Naturalis eſt (2.) *quæ animis noſtris inſita eſt, & ſimul cum cogitatione nata*. Hæc exercitatione mirum in modum augetur. Quarè Craſſus (3.) ait, exercendam eſſe memoriam ediſcendis ad verbum quamplurimis ex noſtris ſcriptis, & alienis. Hinc Pithagorici memoriæ confirmandæ gratiâ ſolebant quotidiè veſperi, priuſquàm cubitum irent, mente repetere quidquid totâ die egiſſent.

Artificioſa eſt, (4.) *quam confirmat inductio quædam animi perceptionis*. Hujus autem partes ſunt duæ: *Loci*, & *Imagines*. Locos dico: ut fornicem, angulum, feneſtras &c. Imagines ſunt notæ quædam, & ſimulacra ejus rei, quam meminiſſe volumus; ut Equi, Leonis, Aquilæ &c. quorum memoriam, ſi habere voluerimus, imagines eorum certis in locis collocabimus.

Quæcumque de hâc artificioſâ memoriâ præcepta proponuntur, libenter prætereo, utquæ potiùs memoriam ipſam obruant, quàm adjuvent: ſatiſque erit Adoleſcentium oculis Quinctil. monitum

(1.) *ad Heren. lib*, 4.
(2.) *idem lib*. 3.
(3.) *lib. de memor.*
(4.) *ad Heren. ibid.*

tum ſubjicere, nempe (5.) *memoriæ artem maximam ſi quis à me quærat: exercitationem eſſe, & laborem judico: multa diſcere, multa cogitare, & ſi fieri poteſt, quotidiè, potentiſſimum eſt. Nihil æquè vel augetur curâ, vel negligentiâ intercidit.*

Pronunciatio, ſive Actio, quam Cic. vult eſſe quandam corporis Eloquentiam; licèt poſtrema ſit oratoriæ facultatis pars; tanti tamen apud Demoſthenem habetur, ut primas, ſecundas, & tertias ei tribuerit.

Hæc definitur (6.) *vocis, & vultus, & geſtus moderatio cum venuſtate*. Ex quâ definitione conſtat, duas eſſe Pronunciationis partes: unam, quæ vocem format, & verè appellatur Pronunciatio: alteram quæ corporis motum moderatur, & actio dicitur. Illa aures, hæc oculos afficit, ac movet.

In Pronunciatione itaque advertatur, oportet; ut quæcumque pronunciantur, accomodato vocis ſono enuncientur: ut vox ſit clara, itemque varia, nec nimiùm præceps; ſed congruâ cum morâ ſenſus proferantur. Aliquando intendatur, ac remittatur pro multitudine Auditorum; ſed tamen nec aſcendat ad extremum, nec deſcendat.

Prætzrea vox affectibus etiam aptetur, qui non uno eodemque modo, nec uno vocis ſono poſſunt declarari. Iracundia enim ſonum exigit acutum, incitatum, crebrò incidentem. Metus vult ſonum demiſſum, hæſitantem, & abjectum. Voluptas, effuſum, lenem, tenerum, atque hilarem &c.

In figuris pronunciandis requiritur etiam vocis diſtinctio. Optatio voluptatem declaret. Deprecatio

(5.) *Inſt. Or. lib.* 11. *cap.* 10.

(6.) *ad Heren. lib.* 1.

catio ſupplicationem indicet. Communicatio conſultationem oſtendat. Conceſſio conſenſum ſignificet. Proſopopæja alterius vocis exprimat ſpeciem, & ſonum. Averſio alienum quid, & averſum a Perſonis inſinuet. Digreſſio ipſo vocis ſono, curſum Orationis aliò divertere, & flectere admoneat.

In Exordiis, utamur voce ſubmiſſiori: poſtea illa magis aſſurgat. In Narratione ſit plana, & aperta: in Contentione acrior, præſertim in argumentando: in Epilogo, excitata, quaſi partâ victoriâ.

Demum res grandes cum majeſtate dicantur: atroces concitatè. Suadebimus voce gravi: laudabimus magnificâ: accuſabimus vehementi: defendemus flexibili, ac triſti.

Actio denique omnes animi motus ſubſequi debet: non tamen ſcænica, quæ ſingula verba exprimat, ſed gravis ſit, atque apta, quæ univerſam rem, & ſententiam non demonſtratione, ſed ſignificatione declaret.

Corporis motus ſit decorus: ſtatus erectus, & celſus: inceſſus rarus: excurſio moderata: Caput decorè compoſitum, non inflexum, aut in mentum, aliamve in partem inclinatum, ſed ferè cum geſtu conjunctum; niſi forte damnemus, execremur, admiremur imprecemur, aptemus, aut a nobis removeamus. Brachium tanquam telum projectum in contentionibus: in remiſſionibus contractum. Cum aliquid ſplendidiùs pronunciatur, ad latus trahetur, utrumque tamen raro adhibetur. Manus habet plurimas indicationes, dandi, poſcendi, removendi, vocandi, interrogandi, indicandi, negandi, concedendi, cæterarumque actionum. Frons non percutiatur, non femur, non aures, non naſum Orator tractet;

ſed

ſed ſemper conſideret, omnium oculos in ſe eſſe conjunctos, totque ſe habere Judices, quot aſtant Auditores.

De Hiſtoriâ.

CAPUT XXXIII.

PRæſtantiſſimum conſcribendæ hiſtoriæ munus, tantâ Eloquentiæ adhæret affinitate, ut alterùm ex alterâ naſci fateatur Cl. Vir Robortellus. Quapropter multùm huic operi detraham: ſi hiſtoricum ſtudium, quo Eloquentia rerum vetuſtarum exemplis tum ad ornandum, tum etiam ad probandum frequentiſſimè utitur, tacitus prætermittam.

Hiſtoria igitur eſt *rei geſtæ ab ætatis noſtræ memoriâ remotæ expoſitio*. (1.) Studium ſuâpte naturâ immenſum; (2.) ſed quod ad omne literarum, aut doctrinæ genus perutile eſt, ac pene neceſſarium. Ex his, qui de ſcribendâ Hiſtoriâ præcepta ediderunt, Lucianus fortaſſe melior, cujus *Didaſcalicum* hâc de re opus certis regulis, veteribuſque exemplis in longum protenſum nunc contraham; & brevi factâ præcipuarum legum Epitome, eas clariori, quâ potero, methodo ſtudioſæ Juventuti proponam.

Prima hujus Auctoris contentio illa eſt: vitia commemorare, quæ malè ſcribentes ſequi ſolent, jis poſthabitis, quæ in verbis, in ſonoritate, in ſententiâ, & cæteris malè, & inſcitè compoſitis deprehenduntur. Cum enim ea communia ſint Oratori: ita facilè effugies, ſi quæ ſupra de verborum Elegantiâ, & Compoſitione dedimus præcepta, exactè obſervabis.

(1.) *Cic. ad Her. lib.* 1. (2.) *Facciol. orat. ad Hiſt.*

Primò itaque peccant hiſtoriæ Scriptores, ſi neglecto eo, quod rem ipſam perinde ut geſta eſt exponant: in laudibus Ducum immorentur, ſuos quidem in cælum extollentes, contra autem hoſtes ultra modum deprimentes; ignari, quod non anguſto aliquo Iſthmo diviſa, & interſepta ſint Hiſtoria, & Encomium. Ille enim, qui Encomium ſcribit, hoc unum ſpectat, ut quibuſcunque modis poſſit, eum, quem laudandum ſuſcepit, extollat, atque delectet; etiamſi per mendacium fortè id conſequatur. At contra Hiſtoria nihil falſum inſeri, ne pauxillùm quidem permittit.

2. Ne ignorentur ea, quæ Hiſtoriæ propria ſunt, & cum jis, quæ ſunt Poetices confundantur. Poæmata quidem aliud promittunt, aliud Hiſtoriæ; propterea regulis utuntur diſſimilibus. Namque hæc una Poetis lex eſt, quidquid ipſis viſum fuerit ad jucunditatem effingere; &, ſive equos alatos currui jungere velint, ſive alios ſuper aquam, & in ſummas ariſtas curſuros attollant, nemo vetat. Hiſtoriæ verò unum opus eſt, & unus finis: Utilitas nempe, quæ ex ſolâ veritate conciliatur.

3. Ne ſupra modum delectabilis fiat Hiſtoria admixtis fabulis, inanibus quæſtiunculis, & adulationibus; adeò ut legentes rideant diſſonam, maléque cohærentem rei compoſitionem; & in poſterum ſuſpectum reddatur totum negotium propter nimios veritatis exceſſus, & incredibilitatem. Hinc Balthius in lib. LX. D. Auguſt. de Civit. Dei Livii ſinceritatem laudibus celebrat; *quòd in deſcriptione belli Civilis, nè Auguſto quidem in tantùm voluit gratificari, ut aliter res narraret, quàm factum ſciret.*

4. Ne a capite reliquum corpus diſſideat. Vitioſum nimis eſt Proæmia ſplendida, ac tragica; atque

atque excellenter compoſita habere; ut ſperes ex iis, quæ ſequentur omnino mirabilia quædam auditurum te eſſe; at mox corpus ipſum hiſtoriæ exiguum quoddam, ac ingeneroſum ſubtexere. Statim ii, qui auſcultant acclamare ipſis ſolent notum illud

Parturient montes: naſcetur ridiculus mus.

5. Ne diverſa undique, & inæqualis ſit dictio; ut ſublimem modò, modò humilem, & mendicis convenientem ſtylum iiſdem rebus interferas. Eſſet enim perſimile Tragœdo, qui altero quidem pede calceamento alto, & grandi incedat; alterum autem ſandalio ſubligatum habeat.

6. Ne circa locorum Deſcriptiones, & Situs mentiamur; vel ambigua pro certis exponamus.

7. Ne res geſtæ maximæ, & quæ memoriâ digniſſimæ ſunt, prætermittantur, aut quaſi in tranſcurſu tantũ attingantur præ ineptitudine, & ignorantiâ eorũ, quæ dicenda. & tacenda ſint; ea verò, quæ minima ſunt, admodùm prolixè & laborioſè verbis immorando exponantur. Ut quidam, qui eam pugnam, quæ ad Europum commiſſa fuit, ne totis quidem ſeptem verſibus prætercurrebat; viginti autem, aut etiam amplius pagellas conſumpſerat in frigidam, & nihil ad rem pertinentem narrationem; quo videlicet pacto Mauritanus quidam Eques errans per montes deprehenderit Scythas quoſdam agreſtes prandium apponentes; & quod principio illi metuerint ipſum: deinde intellecto, quod ex amicis unus eſſet, receperunt ad ſe hominem, & cibum præbuerunt.

(✠) *** (✠)

De Regulis Conficiendæ Hiſtoriæ:

CAPUT XXXIV.

DUo requirit Lucianus in eo, qui hiſtoriam velit contexere: *Prudentiam* ſcilicet, & *Poteſtatem dicendi*. Quorum alterum naturæ donum quoddam eſt: alterum, dicendi ſcilicet poteſtas, multâ exercitatione, aſſiduo labore, & Antiquorum imitatione erit comparandum.

Prudens erit Hiſtoricus, ſi ab omni odio, atque amore ſibi caveat: nimios animi motus modò in vetera, modò in nova pronioris coerceat; contra ſuos, contra Patriã, contra ſeipſum, ſi ita neceſſe ſit, aliquando ſentiat, & quæ ſentit liberè pronunciet. Dicendi habeat libertatem, dicendique tergiverſationem evitet; ſed, quẽadmodùm Comicus ille ait: *ficus ficus*, *ligonem ligonem* nominet. Æqualis Judex, & benevolus omnibus: eò tamen uſquedum ne alteri plus æquo aliquid tribuat. Hiſtorico denique ulna una, & menſura certa eſt aſpicere non ad præſentes Auditores, ſed ad eos, qui impoſterùm in ſuis ſcriptis legendis verſabuntur: Quâ de re, inquit Polibius lib. 2. *Scriptorem rerum geſtarum decet non movere hominum affectus, neque orationem ad id aptam requirere, neque calamitates hominum inſectari: quod Tragædiarum Scriptores faciunt, ſed dicta, factaque vera referre; etiamſi mediocria fuerint.*

Dicendi poteſtas acquiritur, ſi multa rerum genera, linguarum, ſtudiorumque potiri quis curet: ſi multa leget, audiet, videbit, atque ex omni vetuſtâ, recentique doctrinâ percipiet; ut ſciat inde temporum ordinem digerere: ſuam de rebus ſententiam rectè pronunciare: regiones, & loca

loca deſcribere: exactè conſilia tractare: aptas conciones, exhortationes, accuſationes, legationes, facta, dicta, malos eventus recitare.

Deinde in ſententiis, figuris, & dictione dudum invigilent, qui in hiſtorico pulvere deſudant.

Sententiæ inter ſe junctæ, ac ſociatæ ſint; ſed quæ Perſonæ, de quâ agitur, ſemper conveniant. Interdum etiam cum Poetice communicent, in quantùm grandiloqua, & in ſublime elata illa eſt; & maximè quoties aciebus, & pugnis, & navalibus præliis concurrent.

Dictio autem plana ſit, & civilis, quam ſignificantiſſimè manifeſtans id, cui adhibetur. Aliquãdo etiam cum magnitudine eorum, quæ dicuntur, elata. Verùm non peregrinitatem præſeferat, neque intempeſtivè exultet, quaſi quodam furore concitata. Quarè compoſitione temperatâ, ac mediâ utendum eſt; ita ut neque nimiùm ea diſtrahatur, ac diſſocietur (nam hoc aſperum foret); neque rurſus numeroſè omnia (id quod plerique ſtudent) continuentur. Alterum enim vitioſum, alterum Auditoribus moleſtum eſt.

Figuris, & exornationibus utamur minimè moleſtis, minimèque affectatis.

Res non ut fortè ſe ſe offerunt, ita conſtruendæ ſtatim ſunt; ſed diligenter, & laborioſè de jiſdem conſulere Scriptores decet, qui præſentes fuerint, & coram intuentes. Quod ſi hoc fieri nequeat, tum jis advertatur animus, qui ſincerè, & incorruptè magis narrare videbuntur, & quos putaveris minimùm vel ad gratiam, vel odio detracturos eſſe aliquid, aut etiam additurос rebus geſtis.

Methodus Hiſtoriæ rerum præteritarum conſtruendæ hæc erit. Poſtquam omnia, aut ſaltem plurima collecta habueris: Principio capita rerum, & quaſi

& quaſi Summarium contexas, delineeſve corpus quoddam rude, & informe, & nullis adhuc articulis expreſſum. Poſtea autem ſuperaddito ordine, & formam inducas, & colorem dictione adhibeas, & ſingulis explicandis immoreris, & eadem numeroſitate quâdam concinnes.

Denique qui hiſtoriam ſcribit, Phidiæ, aut Praxiteli, aut alteri cuipiam illorum ſimilem eſſe oportet. Non enim Viri illi aurum, aut argentum, aut ebur, aut aliam materiam faciebant; ſed eadem antea præxiſtebat, & quaſi ad eam rem præparata erat ſuppeditantibus ipſam Elæis, vel Atheníenſibus, vel Argivis; illi verò fingebant tantùm, & ſecabant ebur, & poliebant, conglutinabant, concinnabant, auroque incruſtabant. Et hoc artis illorum erat, materiam videlicet commodè exædificare. Idem fermè, & Hiſtorici munus eſt, ut ea quæ facta ſunt, benè, ac rectè componat, non perturbatâ temporum ſerie, variato locorum ſitu, confuſis nominibus &c. ſed omnia, quoad fieri poteſt, clariſſimè ſpectanda exhibeat.

Abſque Proœmio Hiſtoriam exordiri licebit; quando non admodùm urget, ac poſtulat ipſa res præoccupari, & quaſi ad futurum opus præfatione aliquâ præparari. Aliquando initium Hiſtoriæ vim Proæmii habebit; cum ſcilicet indicabit, de quibus rebus dicendum ſit: ut Livius initio tertiæ Decadis.

Quando autem apertè Proœmio Hiſtoricus utetur, a duabus rebus tantùm illud ſumat, non ut Rhetores a tribus; ſed Benevolentiæ loco prætermiſſo, Attentionem, & Docilitatem pariat in Auditoribus. Attentos reddet, ſi oſtenderit, quàm de magnis, aut neceſſariis, aut ad ipſos pertinentibus, aut utilibus denique rebus di-

ćturus

cturus ſit. Docilitas autem captabitur, ſi cauſas præmittet; ac rerum, quæ geſtæ ſunt, Capita ſeu Summas quaſdam præſcribet.

Tranſitio ad narrationem mollis ſit, & placida; nam omnino omne reliquum corpus Hiſtoriæ longa quædam narratio eſt. Quarè & narrationis virtutibus exornari debet: leniter, atque æqualiter procedens, atque ipſa ſui ſimilis; ita ut nec diſſona extet, neque hiatus, aut concavitates aliquas habeat. Deinde & perſpicuitas eluceat dictione, & complexione rerum adornata. Omnia enim abſolvet, perficietque, & primo ad finem perducto, mox ſecundum inferet continuatum illi, & in morem catenæ coaptatum, ut neque interuptum ſit; neque narrationes plures mutuò ſibi adjacere videantur; ſed ſemper quod primum eſt ſecundo non modò vicinum, ac proximum ſit, verùm etiam cum eo communicet, & per extrema commiſceatur.

Brevitas in omnibus utilis eſt, & maximè ſi non inopia quædam fuerit rerum dicendarum; & hanc repeti oportet non tam a nominibus, ac verbis, quàm ex ipſis rebus: videlicet; ſi prætergrediaris ea quidem quæ parva ſunt, & minùs neceſſaria, præcipuè verò quæ turpia ſunt, & nimis atrocia; exponas autem, & explices copiosè ea, quæ ſunt magna, & honorabilia.

Quamvis multiplici eruditionum genere inſtructus eſſe debet Hiſtoricus; adeòut Regionū, Populorum, Principum, Legum, Morum, tum etiam civilium, militarium, naturalium rerum cognitione præſtet: quò ſi opportunum fuerit, explicare hæc ſciat, oculiſque ſubjicere: tamen in deſcribendis montibus, fluviis, mæniis temperatus ſit, ne vim, & poteſtatem dictionis ineptè, & præter rem oſtentare velle videatur; ſed illis modicè

adhi-

adhibitis utilitatis, ac perſpicuitatis tantùm gratiâ, ad rem, de quâ potiſſimùm agis, revertatur.

Quod ſi quandoque loquentem aliquem introducere opus erit: curandum eſt, ut maximè Perſonæ, & rei convenientia dicantur, diligenterque advertendum

. . . . . . Davuſnè loquatur, an Heros
Maturuſnè ſenex, an adhuc florente juventâ
Fervidus: an Matrona potens: an ſedula Nutrix:
Mercatornè vagus, cultornè viventis agelli:
Colchus, an Aſſyrius: Thebis nutritus, an Argis.

deinde, ut quàm planiſſimè etiam loquatur, niſi quod ipſi permittitur, tunc rhetoricari quoquè, & oſtentare verborum, & orationis gravitatem.

Laudes quidem, aut reprehenſiones ſint omnino circumſpectæ, & calumniis minimè obnoxiæ: præterea & cum demonſtratione quâdam, & breves, neque intempeſtivè texendæ. Nam extra judicium, & forum illi ſunt, de quibus hæc dicuntur; nec videaris accuſare magis, quàm tradere res geſtas Hiſtoriæ.

Hæc ſunt, quæ Adoleſcētibus de hâc arte tradenda præcipuè eſſe præcepta optimum duxi; quamquam ad omnes hiſtoriæ virtutes intelligendas firmiore judicio, majoribuſque præceptionibus opus eſſe non inficior.

At quæ hic non modò ad Hiſtoriæ conſcribendæ methodum, verùm etiam ad univerſum, quod hactenus exegi, Rhetoricarum Inſtitutionum opus deeſſe videntur (ac plura certè deerunt: ut ipſemet ſentio; neque enim quæ meliora, quæque ad rem magis conducunt, uni omnia in promptu eſſe ſolent nec exiguo contineri poſſunt volumine) ea ætatis progreſſu, conſtanti exercitio, præſtantium hoc in genere Auctorum lectione, optimiſque facem præferentibus Magiſtris aſ-

ſeque

ſequemini ; & optatam Eloquentiæ laudem, ad quam pro virili meâ parte vos adjuvare conatus ſum, feliciter tandem obtinebitis . Interea perſuaſum cuique ſit, eaſdem haſce Inſtitutiones pro Scholis Piis publici juris factas eſſe , ut ad Pietatis ſcilicet æquè ac ad rei literariæ incrementum referantur. Ita ergo, Juvenes ingenui, in literas incumbite, ut Pietatem in votis ac præ oculis ſemper habeatis; ſtudiaque veſtra , labores, opera omnis Deo Optimo Maximo , Patronæque Juventutis Amantiſſimæ Mariæ Virgini dicata , eò collimet tamquam ad ſummum , ac potiſſimum finem , ut in vitæ probitate , ſanctimoniâ , candore , quoad fieri per vos poteſt, proficere quotidiè videamini.

FINIS.

MAG 2013879

Digitized by Google

Confitebamur Z[illegible]idiquę plaga hęc.

Radica di lagrivella serva per ma-
uia si porri

1·13·22	4·11·25·	7·18·20
2·17·26	6·21·24	9·12·15
5·14·16	3·10·19	8·23·27

1·2·3·4·
1·5·6·7·
1·8·9·10
1·11·12·13
2·6·10·12
2·5·8·11·
2·7·9·13·
3·7·8·12·
3·6·9·11·
3·5·10·13·
4·5·9·12
4·6·8·13
4·7·10·11·